NODUS GORDIUS NOVUS 2
NEGOTIORUM STATUS GRAVISSIMO-
RUM, MAXIMEQUE PERPLEXORUM
QUÆ INTER
MAGNATES,
ATQUE
PRINCIPES EUROPÆ
EORUMQUE MINISTROS NOSTRO
TEMPORE GERUNTUR,

POLITICA MODERNA

AD
PRAXIN ACCOMMODANDA,
NOVAQUE METHODO PRACTICA
HEIC ADHIBENDA PRO RATIONE
PRÆSENTIS TEMPORIS,
ET
RERUM QUÆ AGUNTUR
TEMPORE BELLI,

SOLUTUS

ATQUE IN JURE TAM NATURALI, QUAM
GENTIUM, NEC NON REGULIS PRUDEN-
TIÆ, ET HISTORIA ANTIQUA, AC MO-
DERNA FUNDATUS

OPERA
FRANCISCI de GREGORIIS,

TUBINGÆ,
Apud COTTAS FRATRES,
Anno MDCCXXVII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO

EXCELLENTISSIMOQUE

DOMINO

JOH. HENRICO

LIBERO BARONI

A SCHÜTZ,

DOMINO

IN

Adelsberg, Pflummern, Winzerhausen, &c. &c.

SACRÆ MAJESTATIS REGIÆ
BORUS. EQUITI.

RELIQUA.

SERENISSIMI
WIRTEMBERGIÆ DUCIS
CONSILIARIO
STATUS INTIMO,
ET AD
COMITIA S. R. IMPERII
RATISBONENSIA
PLENIPOTENTIARIO,
UTI ET
AD AULAM MAJEST. CÆSAREÆ
LEGATO
SPLENDIDISSIMO,
PATRONO
SUBMISSISSIME
ET
OBSEQUIOSISSIME COLENDO
EA, QUA PAR EST,
ANIMI SUBMISSIONE ET
VENERABUNDA MENTE
OFFERT

FRANCISCUS de GREGORIIS.

VIR ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIMEQUE,
DOMINE GRATIOSISSIME!

NOn miraberis, *VIR Illuſtriſſime, me Splendidiſſimo Nomini TUO* inſcribere paginas haſce, utpote, quæ non ſolum cum præſentis temporis conditione atque neceſſitatibus convenire aliquo modo videntur, ſed & cum *Perſona TUA Illuſtriſſima, atque Excellentiſſima*, cujus quippe ſub umbra altoq; Patrocinio in lucem prodire felicitati ſibi ducunt. Sicque adeo hocce opuſculum meum perpetuo gloriari poſſe confido, pretium atque valorem ſe accepiſſe à *TUA, Vir Illuſtriſſime*, eximia

in his præcipue rebus ſcientia & ſapientia, cujus tam egregia atque luculenta ſpecimina tantum eminent & ad eum perfectionis gradum aſcenderunt, ut ea ne quidem deſcribere meus auſit calamus, nedum ſolenni celebrare Panegyrico. Dicat Sereniſſimus atque Clementiſſimus Princeps & dominus noſter, *EBERHARDUS LUDOVICUS, Regnans Wirtembergiæ Dux*, qui ex Paterno eoque ardentiſſimo pro Patria noſtra Zelo *TE, Vir Illuſtriſſime*, ad gubernacula reipublicæ poſuit, TUÆque incomparabili prudentiæ, ſapientiæ atque ſingulari in rebus agendis dexteritati negotiorum graviſſimorum & quam maxime arduorum functiones commiſit, in quibus nunquam non ita feliciter omnia ceſſerunt, ut Principis inde exſplenduerit gloria, Patriæ quoque emerſerit honor atque deſiderata utilitas, bonum publicum ſubditorum, ſtatus denique ſalus atque ampliatio. Mihi certè impoſſibile videtur condignam in hac pagina narrationem inſtituere inſignium ſtudiorum, quæ *Illuſtriſſima Excellentia TUA Sereniſſimo Principi noſtro* (quem

Deus

DEUS servet) insimulque universæ Wirtembergiæ magno numero navavit, neque id tantum in Comitiis Imperii Ratisbonensibus publicis, in quibus Heroica quavis constantia fervidoque pro Religione Zelo causam Evangelicam nunquam non egisti, defendisti atque protexisti, sed & apud Aulam Cæsaream Viennæ, ubi nodos difficillimos & maxime intricatos plurimarum rerum, sive illæ spiritualia, sive temporalia attingant, feliciter prorsus omnique cum applausu solvisti, ita quidem, ut Ipsa hæc *Augustissima Aula Cæsarea*, tantarum quippe virtutum Spectatrix atque Admiratrix confessura sit, immortalitate digna esse *TUA* merita. Quin & per universum Imperium satis jam sparsa est admirabilis sapientiæ *TUÆ* fama, neque ullus in eo status datur, qui eam non miretur, æstimet, celebret. Denique ipsa frons *TUA* sublimis atque Nobilissima distinctas, & quas omnes legere possint, lineas exhibet constantis fidei, æquitatis erga omnes, & integritatis nunquam corruptæ. Quæ omnes atque singulæ

dotes in gradu æque perfecto proprium quoddam & quasi domesticum ornamentum sunt universæ *Illustrissimæ Familiæ TUÆ*, in cujus confirmationem luculentissima specimina exhibet pretiosissimus atque Nobilissimus ramus & *Filius TUUS Excellentissimus atque Illustrissimus Dominus, Liber Baro A. H. à SCHUTZ, Vice-Præses in Consilio Regiminis Dignissimus*, qui rara sua sapientia, in gerendis negotiis publicis promtitudine atque indefessa sollicitudine, æquitate etiam animique integritate in hac jam ætate sua virtutum harum Heroicarum tantum possidet, quantum apud complures alios in consummata ætate constitutos vix deprehenderimus, quive adeo in tanto perfectionis fastigio constitutus universo mundo Wirtembergico vivam effigiem eruditionis, atque virtutum *tanti Patris in Nobilissima sua Persona* exhibet. Quemadmodum igitur Doctissimus iste gentilis, cum laudes Alexandri decantare vellet, sublimiore Panegyrico alio non utebatur, quam ut solum hoc repeteret, *esse eum filium Philippi*, ita & mihi sufficiat

ciat dixiſſe, *eſſe EUM Filium tanti Patris, qualis TU es, Vir Illuſtriſſime*, cujus ſumma atque immortalia merita ſera poſteritas in gratiſſima ſervabit memoria, ipſa autem æternitas faſtis ſuis inſcribet. Atque ita igitur haud feliciorem ſanè ſortem tractatui meo Politico vel exoptare vel procurare ego poteram, quam ut *Illuſtriſſimæ Excellentiæ TUÆ*, Literarum quippe & Muſarum *Fautoris, Protectoris atque Patris* benigniſſimi altum implorarem Patrocinium. Patere igitur, *Vir Illuſtriſſime*, ut ad tantum, in quo Divina providentia Te collacavit, faſtigium pronus accedam, rariſſimas *TUAS* virtutes ubique terrarum decantatas, nec non inſignia merita, nunquam ſatis laudata venerabundus exoſculer, *TIBIque* præſentes paginas, cumque illis æternum meum obſequium ea, qua par eſt, animi devotione offeram, ea ſpe fretus, *TE* non ſolum hoc, quicquid eſt, ea, qua ſoles, magnanimitate atque generoſitate ſuſcepturum, ſed & deſideratiſſima hac & nunquam ſatis expetita gratia me complexurum, ut Ser-

vorum Tuorum ſaltem minimus dici, atque ſub Tuo Patrocinio lætus vivere & tutus quieſcere poſſim. Cæterum ſupremum Numen ardentiſſimis votis implorare nunquam deſiſtam, ut *TIBI* fauſta & fortunata porro eſſe omnia jubeat, vitam longævam, annos florentes, perpetuum *Illuſtriſſimæ Familiæ* ſplendorem, & quicquid votis complecti unquam potes, quam cumulatiſſime largiatur.

ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI,
DOMINE GRATIOSISSIME!

TUBINGÆ
Anno MDCCXXVII.

HUMILLIMUS SERVULUS
ET CLIENS

FRANCISCUS de GREGORIIS.



BENEVOLE

LECTOR.

QUi oculos Tuos in hocce meum Opuſculum conjicis, Amice Lector, ſub primum ſtatim ejus obtutum rogaris, ne id contemnas. Juvabit, antequam judicium de eo tuleris, ſi tantum à Te impetrare poſſim, ut attente illud perlegas, ita namque demum, quod ſcio, fateberis, nunquam Te legiſſe argumentum tale Politicum, eo quo ego feci, modo pertractatum. Effluxerunt jam ſedecim anni, cùm ſub CELSISSIMO atque BENIGNISSIMO Patrocinio CLEMENTISSIMI atque SERENISSIMI PRINCIPIS mei, Regnantis Wirtembergiæ Ducis, in almam hanc Univerſitatem Tubingenſem vocari meaque

que huic ipsi servitia addicere honori mihi fuit. Quamprimum adveneram, placuit Excellentissimis ejusdem Dn. Professoribus, ut non solum ad audiendam Thesium suarum demonstrationem, sed & ad disputandum atque opponendum publicè non una duntaxat vice me invitarent, id quod Divina favente gratia ita mihi successit, ut ex ipsorum testimonio, universis Auditoribus satisfecisse me sperem. Quo impulsus Reverendissimus D.D. Jægerus B. M. me rogabat, ut breve omnium controversiarum compendium cum Catechismo Evangelico Italico Sermone in lucem ederem, idque lucis gratia atque in beneficium spirituale peregrinis istis Italis, qui servitiis SERENISSIMI atque AUGUSTI PRINCIPIS mei addicti in his terris commorantur, vel & illis qui inspiratione quadam Divina moti ad amplexandam Religionis Evangelicæ lucem terras hasce petunt. Mandatum hujusce tam pii tamque docti Cancellarii Jægeri ego tanquam filius ejusdem spiri-

ſpiritualis omni cum ſubmiſſione atque cura fui executus. Atque ita illud, de quo dixi compendium atque catechiſmum omni Zelo, atque reverentia utrique parti debita auxiliante DEO compoſui atque perfeci, nullis prorſus injuriis aut convitiis in partem contrariam jactis, ſed ſola convincente ſcripturæ S. autoritate uſus, modo pariter miti; planè uti & Lex JESU CHRISTI nobis præſcripta mitis atque ſuavis eſt. Non ſine applauſu receptum fuit primum hoc opus meum, id inſuper honoris expertum, ut à primariis quibuscunque Patriæ Theologis ipſo quoque Ducali Conſiſtorio unanimi voce confirmaretur atque in bonum publicum promoveretur. Præter hoc verò à peregrinis quoque eo cum æſtimio exceptum fuit idem, ut Gallus nonnemo Regiæ Majeſtati Boruſſicæ ab officiis Eccleſiaſticis illud Berolini ipſe in Gallicum Sermonem boni publici cauſa verteret. E contrario verò cùm ex his terris à fervido quodam Pontificio Romam deportare-

taretur isthic libellus meus, sortem expertus fuit planè contrariam, condemnatum namque atque in foro publico Minervæ, ubi congregatio Inquisitionis ter per septimanam omni rigore instituitur, combustum fuisse, per literas relatum accepi. Sed patienter isthæc quidem ferenda sunt: est enim hæc misera quædam sors libris omnibus communis, quotquot prohibiti ab Aula Romana vocantur. Secundum opus meum Historia Romana fuit Joh. Baptistæ Comazzi à Julio Cæsare usque ad Constantinum Chlorum è vernaculo sermone in Germanum traducta, sententiisque suis moralibus pulcerrimis exornata, cui titulum dedi: *PRUDENTIA POLITICA IMPERATORUM ROMANORUM.* Quod ipsum opus Lectoribus rerum intelligentibus non minus eum in modum placuit, ut à Bibliopolis peregrinis, Belgis quippe, Gallis atque Germanis iterum iterumque prælo fuerit subjectum. Excepit hoc Ars Historica Augustini Mascardi quinque libris constans, (vide Leonem Allatium

de

de Viris Illuſtribus. pag. 67.) & ex mandato Doctiſſimi Hiſtoriarum Profeſſoris Neuii B. M. nec non aliorum qui in univerſitatibus Saxonicis clarent, Profeſſorum ex Italo Sermone in Latinum à me verſa, judicantibus omnibus atque ſingulis, neceſſariam eſſe bono publico talem operam, ad intelligendas Hiſtorias tam antiquas quam modernas easque invicem combinandas: Et verò multo labore opus iſtud mihi conſtitit, integrumque biennium & quod excedet, à me poſtulavit. Atque itaque qui in prioribus opuſculis meis ſingulis applauſus qualiſcunque gloriam vendicare mihi poſſum, indubitatam exinde ſpem concipio quartum hoc, quod jam ſiſto atque ad quinquageſimum quartum ætatis meæ annum progreſſus luci expono, eadem ſorte fruiturum eſſe. Solvet id facilius Nodum Gordium rerum Politicarum, inter Principes atque Magnates hodie tam frequentium, Lectoribus etiam aut quicunque eo uti voluerit, uti ſpero ſatisfaciet atque lucem affundet.

Ani-

Animus mihi est, usum eorum docere atque exponere, quæ alii Autores modo solum speculativo scripserunt atque pertractarunt: quod si in usum deducantur hæc libelli mei capita, opportuno satis tempore in lucem iste prodiisse dici poterit. Id saltem in votis habeo, ut labor hic inserviat ad irrigandos honestos Principum & Magnatum animos, iique eam utilitatem quam ingenium meum atque intellectus perquam debilis ipsis proposuit, inde recipiant. Rogaris denique, amice Lector, ne Te moveant, si quæ sunt vitia impressionis, quippe quasi inevitabilia, sed ad ipsam rem potius animum advertas. Ita Vale.

PRÆCOGNITA ET SUPPOSITA AD SEQUENS PRIMUM CAPUT DE NEUTRALITATE ET DECLARATIONE.

NOn eſt hic mihi animus de Neutralitate in Theoria longum ſermonem inſtituere, ſed loquor de Neutralitate, aut declaratione, in quantum eæ exerceri poſſunt, ut, quando vel tandem alterutram harum de facto amplecti liceat, conſtet. Theoretice de iis diſputare ſine dubio multo facilius mihi futurum eſſet, quam ſecundum praxin & uſum loqui, quandoquidem multi Autores tam Neutralitatem, quàm Declarationem, optime definiverunt, licet pauci determinaverint, poſſem dicere nullus, quando conſultius ſit, uni atque alteri parti ſe addicere. Theoretica de Neutralitate vel Declaratione Tractatio cujuslibet Autoris, Publiciſtæ quam maxime, opus eſt; ut verò iis rectè uti quis

possit, hoc quidem à particulari conditione Principum eorumque statuum proxime dependet. Volo nihilominus supponere, quod tam Theoretici, quam Practici, qui de ipso usu atque exercitio loquuntur, conveniant inter se, *quod dentur quidam nec fœderati nec hostes, qui in Romanis Historiis medii vocantur, moribus nostris neutrales*, uti loquitur Illustr. JCt. Joh. Georg. Kulpisius in Collegio suo Grotiano; & pariter, *quod Neutralitas sit Jus æqualis amicitiæ erga eos, qui invicem hostes sunt.* Hæc autem æqualitas amicitiæ Principis cujusdam vel Reipublicæ, quæ Neutralis esse studet erga eos, qui bello se invicem lacerant, tam rigide servari atque sustentari debet, ut uni non magis vel minus adhæreat, quam alteri, statim enim, ubi hoc fit, Neutralitatem non servari, pars altera queritur: plane indifferens ad unam sicut ad alteram partem esse debet, qui Neutralitatem servare in se suscipit, quod si enim aliter quis facit, pars offensa habet unde conqueratur seque ulciscatur. Lucius Æmilius, Prætor Romanus, ita Tecios arguit apud Livium Lib. 37. *quod Commeatu classem hostium juvissent vinumque promisissent Polixenidæ classis Antiochi Præfecto, quæ si eadem classi Romanæ darent, revocaturum se à populatione militem, sin minus, pro hostibus eos se habiturum.* Suppositis his omnibus præmitto etiam cum Sapien-

Sapientiſſimo Joh. Henr. Bœclero Differt. Acad. XXXIV. titulo: *Quies in Turbis*, quod Principes, qui à particularibus pactis & contractibus exemti ſunt, ex Jure Naturæ & Gentium vel Neutralitatis vel declarationis partes poſſint amplecti, prout propriæ utilitatis ratio id exigit. Et quamvis caſus dari poſſit (id quod ſanè inter Principes humaniores, uti poſtea in ſequenti primo capite monebo, fieri nunquam deberet) ut Princeps aliquis vi armorum ab una parte potentiore compulſum ſe videat, ad partes ejus amplectendas, non tamen ſequitur, jure hoc fieri ac juſtitia. En! breve compendium eorum, quæ Doctiſſimus Boeclerus in forma theſeos hunc in finem pronunciat. *An illi, qui tam bonis ac neceſſariis conſiliis ducti ſocietatem bellicam declinant, jure cogi poſſunt, ut partibus accedant? Non audivimus modo, ſed vidimus iracunde denegatam juſte petentibus quietem. Quaſi hic eſſet vulgo ſenſus bellantium, ſi vires cogendi in partes adſint, de jure non dubitandum eſſe. Quem morem ſapientia melior ultro refutat. Demtis enim pactionis & fidei vinculis armorum ſocietatem exigentibus, jure naturæ & gentium liberum eſſe cuique debet, armis aliorum abſtinere & inter diſſidia externorum quieſcere. Fœdera etiam bellica ſua natura libertatis ſunt & conſilii, non neceſſitatis & præcepti. Et*

 quam

quam iniqua ratio est: Noluisti socius esse, ergo hostem me senties, etiamsi hostem meum non adjuveris, etiamsi ab omni studio partium Te continere volueris. Concludo igitur ex hac doctrina, Principem, qui non se ipse obligavit (nisi evidens periculum ruinam totius Imperii, Regni Patriæque minitans immineat) quando videt, quod auxilia publica, quæ ab occasione & in expeditione sperantur, lenta esse possint, incerta etiam neque sufficientia aut valida satis ad sustentandum & conservandum statum suum vimque hostium ipso potentiorum vi repellendam, si ipse non pacta & contractus particulares in contrarium fecerit, nec bellum contra Universum Imperium sit, talem, inquam, Principem de Jure Naturæ & Gentium Neutralitatis partes amplecti posse atque, si æqualem amicitiam adversus partes belligerantes servet, non, nisi contra jus naturæ & gentium, cogi posse ad arripiendas partes declarationis, Neutralitatis autem negligendas. De qua loqui jam instituimus, secundum exercitium scilicet & quando in praxi illa uti liceat.

De Neutralitate tractationem instituere, inter omnes materias politicas, & quæ Principibus tam belli quam pacis tempore possunt occurrere, è difficillimis una est. Quandoquidem neutri parti addictum esse id-

idque vel inter multos, vel inter paucos, vel & inter duos ſaltem Principes, qui bella mutua gerunt, atque è contrario pariter unius ex illis amicum atque ſocium ſe declarare, res eſt, quæ tam immediatè à conditione particulari Principum eorumque ſtatuum dependet, ut difficile omnino ſit, diſcurſum generalem ſuper hoc argumento inſtituere. Quapropter non ego ſolùm, ſed & quivis alius, qui antiquos Politicos legerit, certo mecum affirmabit, nihil unquam ſe in horum operibus de conſimili materia generaliter dictum deprehendiſſe, quod operæ eſſet pretium. Nihilominus, cùm hoc argumentum de neutralitate vel & declaratione belli tempore tantum pondus ſecum vehat, utut difficilis ſit ejus explicatio, id mihi dedi negotii, ut pro virium mearum tenuitate illud pertractarem, atque non tantum rationibus quibusdam naturalibus, ſed & Autoritate, quantam quidem Hiſtoriæ antiquæ atque modernæ attentius à me perlectæ ſuppeditarunt, ſuffultus meliorem idque ſequentem in modum deciderem.

Ita comparata eſt, teſte Polybio, *natura Principum, ut pro amico vel inimico abſolute habeant neminem, ſed ipſorum tam amicitias quam inimicitias ad utilitatis, quæ exinde ſperari poteſt, leges exigant.* Et Plutarchus dicit, *Reges atque Principes nomine Belli atque pacis uti, ſicut monetis, pro di-*

verso scilicet valore. Uti scilicet cibi quidam, quorum natura insipida est, à condimentis, quæ coquus illis adspergit, saporem accipiunt: ita & Principes, cum per se ipsos Principes sint, nulla tantisper peculiari animi inclinatione abrepti, postea tamen belli tempore in hanc vel illam partem propendent, prout lucrum animo atque affectui ipsorum imperat, aut, ut melius dicam, utilitas, quæ gustus & sapor ipsis est, quam maxime promovetur. Et exinde quidem est, quod iidem Principes, uti experientia testatur, nostris quam maxime temporibus, gustum & saporem utilitatis ipsorum omni iique proximo cognationis gradui anteponunt, quia ratio status ita requirit, quæ verò nihil aliud est, quam ratio utilitatis. Quilibet affirmare hoc poterit, inductus Exemplis modernis iisque bene multis Imperantium quorundam, qui, licet arctissima cognatione inter se invicem conjuncti, hac tamen non obstante cum aliis, quibuscum non tam arcta ipsis intercedit connexio, sese colligarunt, ut jam quidem patet Exemplo Hispaniæ, quæ cum Imperatore se conjunxit exclusa Gallia, & vice versa Galliæ, quæ Angliæ partes cepit, exclusa Hispania, nec non defuncti Electoris Bavarici, qui licet necessitudine attigerit Imperatorem Romanum, Hannoveranas tamen partes amplexus fuit. Parimodo alterum habuimus Exemplum

plum ultimo hoc bello & quidem in Gallia, quæ Imperatori atque Angliæ contra Hispanos se adjunxit tam mari quam terra, ita, ut destructa atque pessundata navali Hispanorum classe à fœderata Anglorum in maribus Italicis, frenatoque & depresso terra, idque in propriis ipsorum finibus Hispanorum fastu à Cardinale Alberonio inspirato, per fortitudinem Gallorum Imperator jam regno Siciliæ potitus & in tranquillam totius Italiæ possessionem restitutus fuerit. De antiquis populis & quam maxime de Lacedæmoniis, qui inter omnes Græcos in bono & florenti statu suo quam diutissime se tenuerunt, scribit Thucydides, *quod præ omnibus aliis commodum suum absque ullo cognationis aut alterius cujusvis rei respectu secuti fuerint, atque sine omni dissimulatione id pro justo habuerint, quod emolumento atque commodo ipsorum aliquo modo satisfacere aptum fuerat*, quem in modum Agesilaus Clarissimus Lacedæmoniorum Rex dicere solitus erat, *se omne id pro justo habere, quod Patriæ utilitatem aliquam afferre possit.* Ut proinde nihil magis proprium sit Principi, quam indifferentia & neutralitas inter duos Principes vicinos bellum secum invicem gerentes. Quid quod neutralitas quasi naturalis sit Principibus, declaratio autem tantum accidentalis. Cæterum tamen, ut videamus, quan-

do Princeps hanc naturam ſuam ſequi, vel ab ea recedere debeat, commoda neutralitatis ex una, uti & incommoda ex altera parte, & ſic pariter, quid declaratio *bonorum* vel *malorum* habeat, ſeorſim conſiderabimus. Primò, qui neutralis eſt, ab ambabus partibus colitur atque honoratur ex timore, quem utraque habet, ne contrariæ accedat. Qui neutralis eſt, litis alienæ quaſi arbiter, ſui autem Ipſius dominus manet, fruitur præſenti & ſervit tempori: qui autem tempus habet (quod optimorum conſiliorum promus condus eſt) habet, uti dicere ſolent, vitam, & tali quidem arte multos ſtatus dominium ſuum ſtabiliviſſe atque ampliaſſe, in Hiſtoriis tam antiquis quam modernis legimus. Porro qui Neutralis eſt, absque inimico aperto vivit neminemque manifeſtè offendit, & verò (uti Polybius inquit) *nihil eſt, quod in omnibus rebus plus valeat, quam moderatio, & ſi nemini, quicunque tandem ille ſit, durius quid facias.* *Mala* hæc ſunt: Qui neutralis eſt, uni atque alteri parti male admodum ſatisfacit, & ambas clanculum ſibi inimicas facit, uti Polybius ait: *Neque amicos parat, neque inimicos tollit*, & (ſicut Ariſtenus Prætor de Achæis dicit) *quid aliud quam nusquam gratia ſtabili, veluti qui eventum expectaverimus, ut fortunæ applicaremus noſtra Conſilia, præda Victoris erimus?*

mus? non, quemadmodum hodie vobis utrumque licet, ſic ſemper liciturum eſt, nec ſemper nec diu eadem occaſio fuerit. Hoc eſt: Quid aliud erimus nos, quam præda Victoris, ceu qui ſine gratia ſtabili, ut fortunæ nos accommodaremus, eventum rerum expectavimus? Non ſemper erit, ut hodie in veſtra manu eſt, ut amplecti poſſitis unam atque alteram partem. Quia, inquit C. Q. Flaminius, id, quod aliqui optimum eſſe dicunt, ne huic bello vos immiſceatis, non niſi ſummum vobis creare poteſt præjudicium. Cui accedit, quod amiſſa omni gratia atque dignitate victoris præda eritis aut præmium. Id quod cives Rhodii, nec non Eumenes Rex Aſiæ neutralitate ſua in bello inter Romanos & Regem Perſeum exemplo ſuo comprobarunt, quandoquidem hic male atque contumelioſe fuit habitus, iſti autem parte ditionis ſuæ à Romanis privati, ne quid dicam de timore, quem & hic & iſti conceperant de exitio ſuo omnimodo. Denique, *inter impotentes & validos* (uti Tacitus inquit) *falſo quieſcas, ubi manu agitur, modeſtia & probitas nomina ſuperioris ſunt.*

Videamus nunc, quid *boni* habeat *Declaratio.* Primò melius eſt permittere ſe fortunæ cum uno ſolo amico, quam odio duorum ſe exponere, ſecundo: Præſtat cadere conjunctum cum ſocio, quam ſolum;

Satius eſt, tentare Victoriam facta declaratione, quam hac omiſſa oppreſſionem deinde à victore, quicunque ille fuerit, certò exſpectare.

Mala verò hæc ſunt. Primò, qui ſe pro parte aliqua declarat, apertum ſibi facit inimicum. Secundo, ſicut res amara naturaliter magis nobis diſplicet & faſtidium parit, quam dulcis nos juvat atque delectat, ita injuriæ & offenſæ vehementius nos movent, quam officia & favores. Unde ille, contra quem Tu te declaras, ſemper promptior erit ad Te offendendum & vexandum (uti experientia nos docet) quam alter, cui Te adjungis & pro cujus partibus Te declaras, ad Te defendendum Tibique ſuccurrendum in tuis neceſſitatibus. Id quod ſuo quidem damno atque pernicie comprobavit Sultanus Egypti, qui, cùm ex favore erga Ismaëlem Perſiæ Regem contra Selimum Turcarum Imperatorem ſe declaraſſet, hunc quidem poſteriorem adeo adverſus ſe concitavit atque irritavit, ut vitam cum Imperio perdiderit, cùm interim Ismaël ad ſuccurrendum illi vel ſucceſſori ſuo ne vel tantillum ſe moveret. Redigamus jam hoc argumentum in tres regulas, quarum prima ſit: ***Potens Princeps in hoc caſu non multum opus habet conſilio***, quandoquidem ipſa potentia ab inſultibus quorumlibet, qui ipſum deprimere aut ſubjugare geſtiunt, eum reddit ſecurum: quod

quod ſi cum aliis ſe colligaverit, ſatis virium ſecum affert, quarum ope facilior ipſi erit victoria, ejusq; fructuum uſus dulcior: quod ſi autem neutri parti addictus fuerit, hoc ipſo ſiniſtra belli accidentia & ſumtus fugiet, & dum vicini ſeſe mutuo conſumunt, ipſe interim reditus ſuos quietè accipit & pecunia non minus creſcit quam potentia.

Altera regula hæc eſt: *Pro Principe, cujus potentia debilior eſt, neutra pars eſt tuta.* Non neutralitas, quia deſunt ipſi vires ad ſe ſuſtinendum atque conſervandum, ita, ut ſemper præda eſſe poſſit bellantium atque ludibrium victoris. Nullius autem unquam durior eſt conditio, quàm talis, cujus terra præter naturalem ſuam infirmitatem media eſt inter duos Principes ipſo potentiores & ſecum invicem belligerantes. Quid verò Principem debilem, & cujus præterea ſolum anguſtum nimis eſt, magis juvat, neutralitasne an verò declaratio? Hoc opus hic labor! quandoquidem nulla res eſt, in qua difficilius ſit conſilium, ut & mihi ipſe perſuadeam, plus hic valere fortunam, quam rationem. Egregie quidem intellexit hoc punctum Siphax Numidarum Rex, qui, cum bellum inter Romanos & Carthaginenſes exortum videret, ſeque huic incendio vicinum eſſe animadverteret, Romanis perſuadere omni niſu conabatur, ut extra Africam bellum gerent

rerent ne scilicet ipsi incumberet necessitas cum alterutra parte se uniendi. Et Livius scribit, *erupto Romanos inter & Regem Perseum bello, cùm Principes Civitatum liberarum pro una aut altera parte se declararent, sapientiores voluisse ut, antea quam una ex istis duabus oppressa atque pessundata fuerit, pacem inter se invicem componerent: cùm tali modo una aut altera pars eos semper defensura & in pace conservatura sit.* Nihilominus ego, generaliter loquendo, consultius judicarem, ut Princeps debilis neutralitatem servet, quam ut pro altera parte se declaret: dummodo vicini, qui inter se contendunt, non sint Principes planè inhumani, & barbari bonæque famæ & honori inimici. Hoc nobis suadet Doctissimus Dominus Boeclerus dissert. XXXIV. dicens: *Si enim nullum possumus momentum facere vel ad nos tuendos, vel ad alios juvandos, sed expositi sumus cujusvis occupantis viribus, rectius aliquis dixerit & consultius esse, expectare quam irritare fortunam.* Sed particularius hocce consilium confirmat Per-Illustris Dom. de Kulpis cap. XXVI. pag. 102. n. 9. de jure neutralitatis dicens: *Ponamus, proximam Principem vel Rempublicam particularem suis viribus resistendo imparem citius ab hoste subactum iri, quam publicè succurri queat, an non præstabit neutralitate sibi invicem pro-*

prospicere & se in alios casus communi Reip. vel fœderatis conservare, quam armis ad deditionem compelli & fieri hostilis potentia accessionem? Cujus ratio hæc est, quod, quamvis Neutralitas utrique parti minus placeat, neutram tamen ipsa re offendit, & damno afficit. Unde non alia sensus aut vindictæ causa inde enasci potest, quam quod invitus spectatorem egeris. Quod si verò Te declaras, injuriam facis, Teque necessario cum armis in manu alteri parti inimicum detegis, quo in casu *manet alta mente repostum judicium Paridis spretaque injuria formæ.* Qui verò neutralis est, neutram partem contemnit, quin utramque potius timet, nullumque illi exhibet servitium, sed nec injuriam facit. Cui accedit, quod cùm exitus declarationis dubius sit, quandoquidem nulla res magis incerta est, quàm eventus bellorum, (*nusquam minus*, dicit Hannibal, *quàm in bello, eventus rerum respondent*) nulla adsit ratio, cur Princeps, de quo jam sermo nobis est, plus fiduciæ ponere debeat in declaratione quam neutralitate, quandoquidem novas partes amplecti nemo debet, quæ meliores non sunt antiquis; uti videmus, quod natura non sinat perire florem, nisi propter fructum, neque admittat corruptionem, nisi propter generationem. Favent huic opinioni Exempla: nam Philippus

Rex

Rex Macedoniæ bonam ditionis ſuæ partem perdidit, quod in favorem Carthaginenſium pro Romanis ſe declaraſſet, & Siphax ob eandem cauſam cum libertate Regni jacturam fecit. Ita & Epirotici & Gentius Rex Illyriorum, quod Regi Macedonum contra Romanos faviſſent, ruinam ſibi ipſis omnes pararunt; &, ut taceam facta adeo antiqua, Campſon Gaurus, quod aperte nimis ſtaret à partibus Ismaëlis Perſarum Regis contra Selimum Turcarum Imperatorem, vitam atque ſtatum perdidit. Noſtris verò temporibus Duces Lotharingiæ in bellis, quæ Imperio cum Gallia interceſſerunt, beneficio neutralitatis ab omni periculo tutos magno cum honore ſe reddiderunt, cùm è contrario Dux Bavarorum ultimo defunctus ob nimium erga Gallos ſtudium è ſua ipſiusmet ditione atque terra ejectus fuit, cujus calamitatis damnum, licet poſtmodum magno cum labore nec ſine difficultate regno ſuo redditus fuerit, tamen ne ſic quidem reſtitutum adhucdum hodie perſentiſcit. Pariter in bello Italico Imperatorem inter & Galliam ultimus Mantuæ Dux Carolus Gonzaga, poſtquam Gallis favere incepiſſet, terris ſuis ejectus atque privatus fuit, atque adeo reſtitui non potuit, ut potius extra ſuam Patriam mori neceſſum habuerit, Cognatus licet Imperatoris. Scilicet, ut ſupra innui, ratio ſtatus, quæ nihil aliud, quam uti-

utilitatis eſt ratio, omnes reliquos gradus poſt ſe relinquit. Arrigum quoque Navarræ Regem, quod partes Ludovici Galliæ Regis contra Papam Julium amplexus eſſet, optimam regni ſui partem amiſiſſe, in hiſtoria temporum relatum legimus. Carolus quoque Sabaudiæ Dux potiſſimo terræ ſuæ diſtrictu expulſus fuit, quod in partes Caroli V. Imperatoris contra Franciſcum I. Galliæ Regem nimis propenderet, quin & paratum jam erat Guilielmo Clevenſium Duci exitium, quamprimum ſe cum Franciſco Rege contra Carolum V. Imperatorem conjunxerat. Denique pro uno exemplo, quod afferri forſan poſſet de aliquo, cui noxia fuit neutralitas, triginta alia eorum in promtu ſunt, quibus damno fuit declaratio. Dixi, hoc valere inter Principes, qui nondum omnem exuerunt humanitatem; neque enim, uti ſupra pariter dictum fuit, loqui mihi animus eſt de inhumanis & barbaris, quibus quippe fidendum omnino nunquam eſt; cùm enim hi in expeditionibus ſuis bellicis nullum alium habeant finem, niſi ſplendorem atque potentiam, omnes illos absque ullo reſpectu opprimen, quibus ſe ſuperiores eſſe cognoſcent, atque adeo non neutrales tantum, ſed & ipſos partium ſuarum fautores atque defenſores, quum ſcilicet fortunæ ſemel ſe permiſerint. Quod ſi verò alteri Principum, qui bellum invicem ge-

gerunt, addicere ſe oportet, cuinam ergo potiſſimum? illi ſine dubio, qui eſt potentior, ſi quidem utilitatis aliqua haberi velit ratio. Potentia autem duplex eſt, *abſoluta* & *conditionata*. *Abſolutè* potentior ille eſt, qui ditionem habet ampliorem, ſelectiorem exercitum, hominibus, militibus, commeatu, oris atque belli munitione omnique apparatu militari tam mari quam terra inſtructum: qui ditior eſt ære numerato, & pecuniam ex ſubditis ſuis conficiendi artem maxime callet. Nervus enim belli eſt pecunia; hac demum præſente ſua armis accreſcit utilitas: absque nummorum copia bellum longius extendere impoſſibile eſt, & Princeps non tam ex cenſibus reditibusque ordinariis divitias atque opes ſuas metiri debet, quàm ex modo & arte pecuniam comparandi per vias ordinarias absque gravi tamen ſubditorum ſuorum onere. Ideo Joannes Jacobus Triultius, in bellicis expeditionibus expertiſſimus, dicere ſolebat, *quod tria requirantur ad bellum. Primò pecunia, ſecundò pecunia, & tertiò pecunia:* & quidam alter ſapiens vir reſpondit: *ergo ad bellum requiritur ſine fine pecunia.* Major ſed conditionata potentia ea eſt, quæ, etſi abſoluta minor ſit, magis tamen apta eſt ad offendendum aut juvandum Te. Ubi ſanè vicinia multum intereſt, quandoquidem vicinus Princeps, viribus licet medio-

cris

cris facilius & citius uti nocere, ita & juvare atque ſuccurrere poteſt, quam maximus Princeps, ſed qui procul abeſt: quis enim dubitat, quin Ludovicus XII. Galliæ Rex validior fuerit Ferdinando Arragoniæ, & Carolus V. Franciſco I. Nihilominus Arrigus Navarræ Rex Ludovici ſtudioſus, & Carolus è Sabaudia Imperatoris ſequax, paucos intra dies oppreſſi fuerunt, iſte quidem à Ferdinando & hic à Franciſco, non alia ex ratione, quam quod Navarra viribus Arragoniæ & Sabaudia Galliæ propter viciniam nimis eſſent expoſitæ.

Probe hoc intellexit Geron prudentiſſimus Siracuſæ Rex, hic enim in bello inter Romanos & Carthaginenſes propter Siciliæ res accenſo ab initio quidem Carthaginenſium, quippe qui alicujus partis Inſulæ regno ſuo vicinæ Domini erant, caſtra ſecutus erat, poſtea autem quam Romani potentia atque ſociorum copia creſcerent, eosque adeo ob viciniam Italiæ tam ad favendum quam nocendum ſibi aptiores eſſe intelligeret, relictis Carthaginenſium partibus cum ipſis Romanis ſe conjungebat.

Tantis ſanè difficultatibus atque fatis ſubjecta eſt longinquitas, ut illis, qui auxilium atque opem expectant à Principibus, quos montes, maria aut notabile locorum intervallum à terris ipſorum disjungit, id ordinarie accidat, quod Saguntinis, quos

Hannibal citius oppressit, quam Romani juverunt, & illi tamen ultra septem menses pertinaciter se defenderunt. Etenim ob insignem terrarum à se invicem distantiam, ubi supplementa militibus mittenda sunt, multos viæ difficultas atque itineris injuria abripit, quin & ex censibus crassissimis, quos secum vehunt permutationes & pacta, quæ cum mercatoribus intercedunt, plus, quam credi potest, nummorum in ipso itinere consumitur. Quod si miles, qui in istiusmodi regiones mittitur, hyemis tempore profectionem instituat, tum vel ex frigore, vel aliis viæ molestiis morietur, saltem male admodum dispositus & ad toleranda belli incommoda parum aptus adveniet: pone autem, mature satis mitti copias auxiliares, sub finem æstatis aderunt, & eo demum tempore, quod hybernis repetendis opportunius est. Cum denique in expeditionibus bellicis nihil majoris sit momenti occasione, patet, opinor, ista neminem recti uti posse, qui è longinquo bellum gerit. Occasio enim fugit in puncto, longinquitas autem tarditatem necessario parit. *Si in occasionis momento* (dicit Livius Martius) *cujus prætervolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequicquam mox omissam queraris.*

Quandoquidem verò bellum potius animi quam corporis viribus non geritur tantum sed & alitur, hinc opus est, ut in ejus decla-

declaratione tam natura quam consuetudo Principum probe considerentur, & majus constantiæ quam audaciæ, patientiæ quam temeritati momentum statuatur. Plus animi habebant Athenienses quam Lacedæmonii, quia verò hi prudentiores erant atque cautiores, quin & patientiores, inde tandem erat, ut superiores istis evaderent; pari ratione Romani primum & secundum bellum Punicum animi magis quam virium magnitudine ad exoptatum finem perduxerunt. *Nobis sors est* (dicit Scipio) *ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. Omitto Porsenam, Gallos, Samnites, quot classes, quot Duces, quot exercitus priore bello amissi sunt?* Ita pariter & Hispani, uti in Historiis legimus, in bello, quod majore cum patientia & tolerantia omnis ejus, quicquid corpus humanum perferre potest, quam armorum impetu susceperant, maximam partem vicerunt, impetus enim, uti flamma à sarmentis concepta, aut cursus atque torrens aquarum verno tempore, non diu durat. Unde patientia & tolerantia victrices facile decedunt.

CAP. II.

DE FŒDERIBUS INTER PRINCIPES TEMPORE BELLI.

POtentia & vires aliorum crescunt per viam *fœderum*, quippe quæ Principes & fortiores & animosiores reddere solent: multas enim res neque potest neque audet suscipere solus aliquis, quas tamen & posset & suscepturus esset cum aliis sociatus; cui accedit, quod societas auget gaudium de rebus prosperis & minuit damnum de adversis. Jam verò variæ dantur *Fœderum* species: Sunt enim *perpetua & ad Tempus: Offensiva vel Defensiva: Offensiva & Defensiva simul.* In quibusdam *Fœderibus* Confœderati paris inter se sunt conditionis, uti pro præsenti tempore Helvetii inter se sunt nec non unitæ Hollandiæ Provinciæ. In aliis *fœderibus* Confœderatorum unus *prærogativam* habet præ altero. Ita *Prærogativam* habebant Romani in *fœderibus* cum Latinis, siquidem ipsi deliberabant & quid agendum esset statuebant: Duces quoque & præcipuos Officiales quoscunque con-

constituebant: denique penes ipsos erat ratio gerendi belli & fructus victoriarum, ita ut Latini non nisi Ministri essent Romanorum, aut, si quo modo eorum erant socii, id saltem locum haberet in belli molestiis atque periculis, gloriam autem, aut quæ bello parta erant, aut Imperium prorsus non participarent. Qua in re sanè Romani mirabilem ostenderunt judicii vim, nam sub titulo fœderis atque societatis communibus viribus pro se solis atque pro se ipsis Imperium mundi acquisiverunt, ita ut Latini, cùm postmodum impatientius id ferre inciperent seque vindicare ideo vellent, universas Romanorum aliorumque, qui ipsis subjecti erant, populorum vires, Principes insuper Romanorum amicos atque Confœderatos contra se ipsos attraherent. *Fœdera* cum prærogativa etiam illa sunt, ubi confœderatus aliquis vel plus contribuere debet, vel plus de victoriæ fructibus sibi vendicat, quàm alter, his autem multum fidere nemo debet. Cui & hoc accedit, quòd, cùm utilitas Principum Confœderatorum non æqualis sit in ipsa expeditione bellica, credi vix possit, eosdem pari animo & æquali promtitudine acturos esse, sine qua tamen æqualitate socii nihil, quod alicujus sit momenti, efficient. Dabo hujus Exemplum, quod ipse oculis meis usurpavi. Viginti circiter anni effluxerunt, cùm per aliquas Galliæ partes iter ego fa-

ciens, curſumque continuandi curioſitate impulſus Tuluni in navem conſcenderem, atque Barcellonam, quæ in Catalonia eſt, exinde autem Alicantum & Malagam verſus in Hiſpaniam veherer, eo prorſus tempore, quo Gallia cum Hiſpanis conſociata Anglorum & Batavorum claſſem ſibi inimicam & cum Imperatore pariter conſociatam cum claſſe navali in hoc ipſo mari inquireret, cum ea prælium commiſſura. Comparuerant in alto mari ambæ hæ terribiles claſſes, non admodum procul à plaga Africæ, quæ Tituana vocatur, uti ipſemet ego vidi; cumque altera alterius occurſum evitare non poſſet, claſſis Hiſpano-Gallica numeroſa admodum & centum navibus bellicis ſimul conſtans nona hora matutina, ſeptimo circiter die menſis Septembris, claſſi Anglo-Hollandicæ, quæ numero non minor aut inferior erat, juſta ſerie propius acceſſit, quæ cum adactam ſe vidiſſet ad ſubeundam pugnam, aciem inſtruxit. Tum autem vidiſſes accenſum ſubito prælium, exploſis una vice ab una atque altera parte plus quam mille tormentis, ita ut Cœlum obſcuratum fuerit, mare perturbatum, terra etiam & vicina circum oppida omnia terræ aliquo motu concuſſa contremuerint. Durabat conflictus ab hora nona matutina usque ad occaſum ſolis, eo quidem ſucceſſu, ut neutri parti ſingularis victoriæ gloria adſcribi potuerit,

tuerit; id tamen certum eſt, male admodum habitam fuiſſe claſſem Hiſpano-Gallicam, & ultra tria millia hominum perdidiſſe. Altero mane mox ſub ortum ſolis iterum comparere atque inſtructa acie in lucem prodire inceperant duæ hæ claſſes, cum verò opportunum maxime eſſet, claſſem Hiſpano-Gallicam funditus delere, Hollandi, qui ſatis ſe jam præſtitiſſe exiſtimabant, & probe inſimul intelligebant, utilitatem ipſis hinc ſperandam non æquare jacturam, quam facere haud difficulter potuiſſent, non amplius auſi adoriri claſſem hoſtilem, ſeparare ſe atque ſubducere paulum incipiebant; id quod videntes Angli, ne ſoli reſtarent, idem fecerunt, ob ſolam inæqualitatem utilitatis, quam à Confœderatis ſuis inde ſperabant, id quod optimum erat in hac expeditione, negligentes. Idem fecerunt Angli ultimis his bellis in Flandria geſtis, quippe qui ex particularis commodi aliqua ratione ſcopoque ſingulari primi partes Imperatoris deſeruerunt, ut proinde Imperator Romanus, poſtquam primum ab Anglia, tum ſucceſſive ab Hollandia, denique à Duce Sabaudiæ in Italia deſertum ſe videret, adſtrictus hac ratione fuerit ad cedenda Galliæ loca quædam egregie munita tam in Flandria, quam prope Rhenum, paciſque tractationes cum ipſa inſtituendas. Econtrario vero eadem Anglia ante aliquot an-

nos cum Imperatore Romano contra Hispanos sese conjunxit & classe sua navali, cui Archithalassus Bingius præerat, Hispanorum classem in maribus Italiæ penitus dissipavit atque profligavit, partesque Imperatoris multo cum effectu tuita est, quoniam scilicet Imperatori non aliud propositum erat, quam ut in tranquilla terrarum Italicarum possessione, atque super throno Regnorum Siciliæ & Napolis sese conservaret, neque Anglia aliud quid agebat, quam ut thronum Regni sui pacifice tueretur, & possessionem validissimi castelli Gibraltar tanto magis firmaret, ad compescendam eo melius Hispaniam tam à latere, quod ad mare vergit, quam versus Portum Mahon. Est verò hic portus, cujus ipse oculatus testis sum, ab ipsa natura forma canalis constructus, qui ducentas naves bellicas facile capere potest, ita ut Anglia, dum portum hunc sibi vendicabit, satis valida futura sit ad transferendum bellum in Hispaniam, Galliam & Italiam, prout occasio id postulaverit.

Atque ita vero Imperator & Anglia in hac confœderatione pari passu ambulabant, neque observari poterat prærogativa aliqua notabilis ab utili hujus vel illius partis in minimo saltem diversa. Breviter, sicut in Horologio una rota aut unum libramentum, si loco suo dimoveatur, totum nexum turbat, ita & in fœderibus unica saltem pars, quan-

quando ex particulari quodam ſcopo ſuo aut utilitatis ratione officio ſuo deeſt, totum *confœderationis* corpus luxat, uti idem obſervatum fuiſſe Hiſtoriæ referunt in fœderibus ſub Paulo III. & Pio V. inter Regem Catholicum & Venetos contra Turcas initis. Qui licet inſigni ardore victoriaque inſuper memorabili ſe moviſſent, nullos tamen fecerunt progreſſus ex unica hac ratione, quia non erat æqualis inter Confœderatos utilitatis ratio: parum enim curat Hiſpania, quæ in Oriente aguntur aut bello acquiruntur, licet ea multum ponderis habeant apud Venetos; his autem exiles videntur expeditiones in Africa, quæ tamen Hiſpaniæ oppido ſunt neceſſariæ. Unde eſt, quod Veneti, qui non niſi vires Turcarum in Oriente timent, & Hiſpani, quos Algerium, Marocco & Sales nimis vicina terrent, ob diverſam utilitatis æſtimationem æquali ardore ſimul ſe movere non poſſunt, Papa autem medius manet ſumtus largiendo ſine fructu. Itaque non niſi duo modi ſunt ejusmodi contra Turcas confœderationem inſtituendi, quam aliquid ſpei de felici ſucceſſu comitari poſſit. Alter quidem hic eſſe poſſit, ut omnes Principes Turcis confines uno eodemque tempore contra hoſtem hunc inſurgerent, & quilibet pro ſe ipſum invaderet, neque id limitatis viribus, ſed quantum fieri poteſt,

quandoquidem æqualis hic futura esset utilitatis ratio. Alter generosus magis foret, si plures Principes simul absque alio quam Divini honoris studio uno aut pluribus locis in ipsum irruerent, uti istis Heroicis temporibus accidit, cum multi Germaniæ, Flandriæ, Galliæ & Italiæ Principes, partim vendendo, partim oppignorando ditiones suas plus quam quadringenta millia hominum collegerunt, victisque ad Nicæam Turcis, Persis ad Antiochiam & Saracenis ad Hierosolymam universum Orientem concusserunt terramque sanctam universam recuperarunt. Ubi id maxime notari meretur, quod de tali ac tanta expeditione nec Rex nec Imperator ullus partes ceperint: & licet Galliæ atque Angliæ Reges nec non Imperatores Conradus & Fridericus illuc pariter se postmodum contulerint, non quidem ad expugnandum quicquam, sed ad conservanda belli præmia, nihil tamen, quod notari mereatur, effecerunt. Nostris è contrario temporibus ratio status atque utilitatis inter solos Principes Christianos regnare videtur, & inter ipsosmet hos maxime sanguinolenta fabricantur bella, quæ tamen abesse possent, neque admodum solliciti sunt de ratione status atque utilitatis, quam & habere & monstrare ipsos fas esset contra Turcas aliosque infideles. Machiavellus hac occasione con-

contra Christianos ita exclamat : Heu! quare Principes Christiani adeo intendunt vires suas, ut unus alterum perdat, planè ac si nullos alios in mundo haberent inimicos. Nonne Turca ad portas stat & ad latera nobis est? est vero hic talis inimicus, qui nihil unquam aliud quam oppressionem Christianorum cœtus cogitat, tantasque habet vires, ut ipsi resistere, non dicam ipsum superare, omnem, quæ inter Christianos armis comparari potest, gloriam longissime excedat. Quid ergo est, quod justiorem aut honoratiorem bellandi caussam inter se ipsos quærunt Christiani, quam contra Turcam, neque ipsum curant, quin contemnere videntur? Nonne ille Christianis tam munitas arces, tam validas urbes, tam vasta regna duoque insuper Imperia eripuit? Nonne talis inimicus est, qui dominatur Africæ, imperat Asiæ, pluresque habet regiones, qvam omnes Principum Christianorum status conficiunt, qui & medio dissidii atque discordiæ inter Christianos usus arrepta occasione opportuna optimas provincias genti Christianæ eripuit suamque potentiam atque vires talem in modum auxit, ut terra atque mari terribilem se reddiderit? Quod si etiam per experientiam jam videmus quod præsentes Persiæ lites, quæ Regi Sophi cum usurpatore Miriweisio intercedunt, idem in commo-

modum suum vertat, temporeque & occasione discordiarum harum intestinarum utatur, atque validum exercitum Turcicum illuc miserit, cujus ope optimam Regni hujus partem sibi subjicit atqve subjugat, quid eum postea contra Principes Christianos pariter tentaturum esse existimamus, qui discordes præsenti tempore & divulsi à se invicem bella maxime sanguinolenta tam mari quam terra & per illa ruinam sibi invicem machinantur atque minantur, si quidem in mutua arma ruere inciperent: *Heu!* exclamat Machiavellus, *aperite oculos, O Principes Christiani, siquidem Turca eos maxime habet apertos, ut exitum vestrarum discordiarum observet, & tempore atque occasione utatur. Hem! ego nescio* (pergit supra dictus Politicus) *cur ratio status atque utilitatis plus deprehendatur inter vos, quam ut se exerat contra inimicum tam potentem, qualis est Turca. Heu! quam egregie,* dicit idem, *in hoc se demonstrat veritas dicti illius Salvatoris nostri, quod filii tenebrarum prudentiores sint in suis rebus, quam filii lucis.* Sed revertimur ad propositum nostrum atque igitur concludimus, quod fœdera semper majorem potentiæ gradum adjiciant, ubicunque lucrum inter partes est æquale, deficiente verò hac æqualitate pro certo tenendum, defuturum quoque auxilium à

fœ-

fœdere, & ideo tantum debent æstimari fœdera, quantum habent stabilitatis: meliora sunt perpetua quam temporaria, fœderibus enim, quæ ad tempus saltem panguntur, multum pariter fidendum non est, siquidem Principes plerumque non se movent nisi propter utilitatem atque amicum non magis quam inimicum agnoscunt, nisi ob commodum inde sperandum, aut malum metuendum, quo cessante subito & tempus cessat, uti supra quoque dictum fuit. Pari modo *offensiva* & *defensiva* simul meliora sunt, quam *offensiva* & *defensiva* solum. Nihilominus fœdera *defensiva* contracta cum Civitatibus aut Principibus inimico vicinis aut potentiæ ejus æmulis non levis momenti sunt, metus enim & suspicio, ne confœderati inter se invicem coëant, absterret inimicum, ut contra nullum ex iis nîl quicquam tentare audeat. Quo modo & Helvetii securitati suæ prospexerunt: postquam enim perpetuum fœdus *defensivum* inter se invicem inierunt, nemo est, qui vel minimum è vicis illorum invadere audeat. Defensio autem salutis suæ tam justa est, ut nulla alia probatione opus habeat, quam considerare arma animalium, cornua, dentes, ungues, calcitratus à natura ad conservationem eorum data. Et adhuedum rosæ armatæ sunt aculeis, grana spiculis & castaneæ spinis: natura denique

in hoc tam ſollicita eſt, ut Principes non opus habeant ab arte erudiri. Cavere tamen debent, ne terminos tali modo tranſiliant, ut defenſio in offenſam abeat, ſiquidem conveniens ſatisfactio ipſis offeratur. Qua in re Romani egregie ſe geſſerunt, nam inimicis, dummodo non fuiſſent indomiti, honeſtam pacem nunquam negabant, quæ & omnis belli finis eſſe debet, neque negari niſi iis, à quibus non aliter quam ipſorum cum exitio ſperari poteſt, aut qui tale quid perpetrarunt, quod in Exemplum aliorum ipſorum cum interitu punitum eſſe debet. *Duabus his artibus* (inquit Salluſtius de Romanis) *audacia in bello, ubi pax evenerat, æquitate, ſeque & Rempublicam curabant.* Tam juſtum eſt bellum *defenſivum*, ut *offenſivum* non aliam poſſit habere juſtitiam, niſi quam à *defenſivo* accipit, neque *offenſi*[illegible] laudabile eſſe poteſt & juſtum, niſi [illegible] quantum defenſionem ſub ſe comprehendit, quandoquidem non dari poteſt caſus, ubi licitum ſit offendere per aliam rationem, niſi ad defenſionem. Atque ideo non bene acturus eſſet ille, ſi Chriſtiano more loquendum eſt, qui abſque intentione & ratione ſe defendendi conſilium capere vellet ſaltem offendendi, quia bellum offenſivum nihil aliud pro objecto habet, quam ſpem boni incerti & futuri & turbas, atque in hoc quidem

caſu

casu socii non concursuri essent paribus viribus: *defensivum* autem plus habet efficaciæ, quia in defensione periculum unius ob viciniam parem in reliquis ardorem facile excitat, atque id agit, ut commune, præsens & certum bonum concordibus animis defendatur & conservetur, paxque procuretur.

CAP. III.

DE VIGILANTIA EO TEMPORE, CUM VICINI PRINCIPES BELLIGERANT, ADHIBENDA.

NIhil magis est necessarium ad firmandam pacem & salutem status alicujus, quam probe se munire, quando vicini bellum inter se invicem gerunt. Quod si enim Princeps in his circumstantiis commeatu, munitionibus aliisque rebus ad expeditionem bellicam necessariis instructum se monstrare, viresque suas profectionem saltem exspectantes ostendere neglexerit, id facile ei accidet, quod plerumque accidere solet, hoc est, ut subsequente inter eos, qui primum belligerabant, pace aut conventione tem-

tempeſtas belli in vicinos tandem erumpat. Facta pace inter Carolum II. Neapolitanum & Fridericum Arragoniæ Reges, viginti circiter naves bellicæ partim Cataloniæ partim Italæ Sicilia & Appulia ſolvebant. Servierant primum dictæ naves ſupra nominatis Regibus, electo autem in Ducem Fratre quodam Ruggero nauclero experientiſſimo, viam per mare Macedonicum & Græcum invenerunt, & damnum inauditum undiquaque intulerunt. Cum enim numerus hominum in dies creſceret, eo audaciæ proceſſerunt, ut Inſulas Archipelagi depopularentur, civitatem quoque terræ firmæ impugnarent & innumerorum hominum exitio ſe ditarent, id quod per duodecim annos durabat: ad extremum Athenienſium quoque Ducem trucidarunt hujusque ditiones ſibi vendicarunt. Compoſita eodem modo pace inter Philippum Mariam & Venetos, Capita quæ Principibus his ſervierant, certatim omnia contra ſtatum Eccleſiaſticum arma ſua converterunt: poſtea cum Veneti & Imperator Maximilianus arma depoſuiſſent, Hiſpani & Vaſcones, qui in bello iſto militaverant, cum Franciſco Maria ad ſtatum Urbini diverterunt, & Papam Leonem talem in modum afflixerunt atque oppreſſerunt, ut ad liberandum ſe ab oppreſſione infinitam pecuniæ ſummam impenderet, quam, utut partem

de

de Patrimonio Petri, Principes isti atque summa capita absque ullo scrupulo postea inter se diviserunt: & licet illam violentia extorsissent à Beatissimo Patre, licitum tamen existimabant, ut in commodum suum illam verterent, de excommunicationibus parum solliciti. Non possum non hic repetere verba Taciti, de moribus Germanorum, pag. 710. ubi de Cheruscis ita loquitur: *Nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutriverunt, idque jucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes ac validos falso quiescas, ubi manu agitur, probitas ac modestia nomina superioris sunt: ita qui olim boni æquique Cherusci, nunc inertes ac stulti vocantur. Cattis victoribus fortuna in sapientiam cessit.* Egregie intellexit hanc regulam regnans hodie Parmensis Dux Farnesius, cum enim Imperator Josephus Gloriosissimæ memoriæ cum defuncto Rege Ludovico XIV. bellum in Italia gereret, ille præter milites suos exercitumque ordinarium ultra decem millia militum instructorum conscribere jussit, ad tuendos melius terrarum suarum fines, locis etiàm atque castellis per sat longum tempus quibuscunque necessariis rebus prospicere jussit, & licet nihil ipsi prorsus esset negotii neq; cum dicto Imperatore neque cum Gallia, consultius tamen ipsi videbatur, talem se præstare, qui magis timeri quam timere debeat.

Ad hujus igitur Exempli multorumque aliorum consimilium imitationem Princeps non solum pro defensione sua stare debet, quandoquidem in bellis *defensivis* male admodum suis rebus uti qui, potest (quod si enim hostis per fines intrare inceperit, destruit terram, consumit populos omnemque statum in confusionem atque perturbationem conjicit) sed & talem se monstrare quis debet, qui promtus sit ad tentandum & suscipiendum aliquid, ac proinde ad offendendum, ubi opus fuerit, ut scilicet timorem armorum quam longissime à parietibus suis removeat, quo ipso non modo terram suam in pace & securitate conservabit, sed & præter hoc censibus suis fructuque obedientiæ à populo præstandæ pacifice fruetur. Certe, quod ad scopum nostrum attinet, nemo dubitat, quin Marchio de Leede, Summus Hispaniæ Præfectus, postquam paucos ante annos maribus Siciliæ se commisit, & expositis multis militum millibus Regnum hoc ex improviso plane mari ac terra infestavit, quin &, nemine hoc cogitante, idem expugnavit, & deturbato prius solio suo Serenissimo Sabaudiæ Duce brevi tempore sub obedientiam Regis sui redegit, viso victoriarum suarum successu postea certissime Imperatorem in Regno Neapolitano, Anglos autem in Gibraltar invasisset, nisi duæ hæ potentiæ bene sibi

pro-

profpexiffent, & ad prævertendam offenfionem vimque vi repellendam promtæ fuiffent atque paratæ, id quod & ipfa re præftiterunt. En! aliam egregiam fimilitudinem naturalem illam quidem & phyficam. Sicut Princeps, qui vicinus eft hominibus malo quodam infectis, nifi vias cuftodire jufferit, aut etiam mature de Antidotis & quæcunque fanitatem tueri poffunt, fibi profpexerit, periculum incurrit, ne & ipfe inficiatur, aut ne malum in terris fuis ingentem edat ftragem, quandoquidem in corpore debili & extenuato naturaliter plus poteft morbus, quam ubi illud firmatum atque roboratum invenerit. Ita pariter peftis belli alicujus vicini, quæ generaliter loquendo nihil aliud pro fcopo habet, quam utilitatem & lucrum ejus, qui fufcipit, cæterorum verò perniciem, nifi aditus optime claufos atque munitos deprehenderit, quam primum fortuna in puppi eft, excedit terminos atque ftragem & damnum facit ubicunque poteft: quod fi nonnunquam Vicinis, quorum infirmitatem cgnofcit, damnum non inferat, faltem eos fibi fubjicit, pecunias imperat, & potentiæ fuæ tributarios reddit. Denique beftia eft bellum, quæ nihil aliud agere novit, quam devorare, corrumpere, perdere: & ficut ignis nulla prorfus materia fatiatur, nifi ingenti aquæ multitudine extinctus fuerit,

neque ſupprimi poteſt, niſi omnia, quæcunque ipſi vicina ſunt, proculcentur: ita pariter bellum non ſatiatur, niſi pretioſa aqua ingentis nummorum multitudinis extinctum, aut cum ruina omnis hujus, quod utut debile obſtare ſibi credit: atque igitur *tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.* Non deſunt nonnunquam Principi cuidam, quando ſuperiorem atque præpotentem ſe eſſe videt, prætextus ad minimum ſpecioſi, quibus illicitum licitum, & quod injuſtum eſt, juſtum contra illos ſtatus apparet, quos ſubſidiis deſtitutos ſeque debiliores eſſe videt. Neque denique deficiunt unquam alii quidam Ageſilai Lacedæmoniorum Reges, qui, uti in capite de Neutralitate innui, omne hoc debere ſe pro juſto habere dicunt, quod propriæ patriæ utilitatem atque lucrum afferre poteſt, atque ita inſerviendo occaſioni atque tempori per rationem ſtatus atque utilis omnibus mediis omnique modo ac via imperium ſuum absque ulla alia conſideratione ampliare ſatagunt. Unicum igitur remedium, ut quis de pace atque ſalute ſtatus alicujus publici certus eſſe poſſit, in hoc conſiſtit, ut probe ſe præmuniat. Quin plus dicam, ſcilicet ad firmandam pacem atque ſalutem reipublicæ alicujus, non tantum, ut quis ſe præmuniat, opus eſt, quando vicini bella inter ſe gerunt, ſed omni tempore, ut paratus

tus atque à viribus instructus aliquis sit, necesse est. Expectatio namque virium atque copiæ, cum iis uti opportunum quam maxime esset, non semper prospere nobis succedet: belli quoque necessitates tot ac tantæ sunt, ut adhibita omni diligentia, qua uti possumus in rationibus earum ineundis iisque cumulandis semper aliquid defuturum sit, cum tamen sapiens Politicus dicat, *non ita fidendum esse paci, ut arma prorsus deponantur, pax enim inermis debilis est.* Constantinus M. cum milites, qui limites patriæ tuebantur, dimisisset, minus quippe necessarios ob pacem universalem ipsi visos, gentibus barbaris portam aperuit. Probe regulam hanc, nostro licet damno, intellexit magnus Turca Constantinopolitanus, ceu qui non modo tum, quando alii Reges & Principes bellum inter se reciprocant, sed & pacis tempore magis armatus est, quam Christiani tempore belli. Hoc consilio Principes quidam armamentaria instituunt, quo omne genus eorum, quæ in bello tam maritimo quam terrestri usui alicui esse possunt, recondunt, instrumentorum quoque militarium omne genus fabricari, aut quæ jam confecta sunt, poliri, attrita vero refici continue curant. Inde fit, ut præsente occasione, quando omnia ad expeditionem bellicam necessaria in uno loco præsto sunt, paucis diebus non classem tantum

educere, ſed & copiis terreſtribus omnibus rebus neceſſariis providere poſſint, ad proſequendum iter, trajicienda flumina, eaque omnia efficienda, quæ bellatoribus accidere poſſunt, uti videri hoc poteſt in armamentario Venetorum nec non in altero quodam Ducis Saxoniæ, quod Dresdæ eſt. Primum quidem omnia reliqua apparatu tam navali quam terreſtri ſuperat: poſterius autem neque numero tormentorum & globorum, neque ulla alia re ad bellum terreſtre neceſſaria ipſi cedit. Ad imitationem hujus, quod Venetiis eſt, Mahomet II. Turcarum Imperator Conſtantinopoli unum aliquod exſtrui juſſit, cujus auxilio ipſe & ſucceſſores ſui claſſes Chriſtianorum non curarunt, neque amplius curant. Qui vero opportunitatem fundandi aut ordinandi armamentaria non habet, id ad minimum agere debet, ut res ſua publica aut urbs primaria omni materia omnibusque artis Magiſtris ad hunc effectum neceſſariis abundet, ut id, quod publico deeſt, pro re nata à particularibus ſuppleatur. Tales in Italia ſunt urbes Mediolanum & Neapolis, ubi tanta eſt materiæ quantitas, tanta artificum omnis generis multitudo, ut brevi tempore validus exercitus inſtrui poſſit. Locutus fui hactenus ſolum de proviſione in genere & quaſi in tranſitu, neque eousque diſcurſum volui extendere, declarando & deſcribendo

in

in particulari & ex professo provisiones munitionum, commeatus, pecuniæ, tormentorum, militum eorumque qualitatum, fortalitiorum eorumque situs; de hoc enim alia vice ex instituto & data opera loquar in tractatu meo secundo, ubi de aliis rebus consimilibus acturus sum, si quidem DEO per gratiam suam sanctissimam firma valetudine, meis autem Patronis hujusque opusculi amatoribus Favore suo mihi porro assistere placuerit.

CAP. IV.

QUOMODO HOSTEM PRÆVENIRE OPORTEAT.

NObilissimus modus hostem procul ab ædibus nostris arcendi, nosque ab ipsius invasionibus tutos reddendi est ipsum prævenire, hoc autem multis modis fieri potest, uti successive dicam. Primo autem dico, posse hostem præveniri, si bellum in ipsius ædes transferatur; facile enim alterius res quietas esse patitur, qui suas in periculo videt. Callide observavit hoc medium in omnibus expeditionibus suis arduis Ludovicus XIV. defunctus Galliæ Rex, ceu qui primus semper fuit ad educendum in

caſtra exercitum ſuum, præcipue apud Rhenum, ſubjectoque ſibi fortalitio Kehl & tota Rheni ab utroque latere plaga ſemper quæſivit, quomodo bellum in terram inimicorum ſuorum transferret, qua ratione Exercitum ſuum exactionibus atque alimentis vi ablatis vel extortis ex parte ſuſtentavit, ſumtibus ſcilicet alienarum regionum, in quibus ita ſe munire validumque reddere allaborabat, ut difficile ſemper fuerit, ipſum expellere: quod ſi rarius id forte contigit, apud Rhenum tamen ne palmum quidem ſoli de ſuo perdidit, quin aliquid ſemper adjecit. Ita in omnibus reliquis expeditionibus in exteras regiones ſuſceptis tali uſus methodo ſemper lucri aliquid reportavit progreſſusque fecit notabiles, uti Hiſtoria hodierna nobis refert. Eundem morem Romani ſervarunt in gravioribus quibuscunque ipſorum expeditionibus, excepto bello Gallico & ſecundo Punico, quæ tamen nunquam finiri poterant, donec arma ſua ultra mare atque Alpes protenderent, & Hannibal conſulente Antiocho, qua ratione bellum contra Romanos geri debeat, ſemper dixit, nihil fructuoſi ſe effecturos, niſi Romanos in Italia invaderent. Iidem Romani, cum de fœdere inter Philippum Macedoniæ Regem & Hannibalem inito audiviſſent, nihil melius aut conſultius eſſe exiſtimarunt, quam ut prævenirent Philippum

pum. Unde ſane neſcio, cur noſtris temporibus quidam diſputent, an melius ſit Turcam in ædibus noſtris expectare, aut in ſuis illum inviſere? Antiqui certe nullum de hoc dubium moverunt, & ea ſemper ſummorum quorumvis belli præfectorum opinio fuit, melius eſſe invadere quam invadi; impetus enim qui non plane temerarius eſt, perturbat & confundit inimicum, partem ipſi adimit redituum & bonorum, commeatus ſibi vendicat, aut ipſum adigit ad corrumpendos eos propria manu, eos quibus imperium ejus minus placet, ad ſe trahit, ſi vincit, multum lucratur, ſi perdit, pauca periclitatur, quam maxime quando bellum procul à domo ſua geritur: denique caſus bellici, qui infiniti ſunt, citius favent invaſori quam invaſo. Hannibal & Scipio, (quos lumina artis militaris appellare jure poſſumus,) pudori ſibi ducebant, ut unus contra Romanos extra Italiam & alter contra Carthaginenſes extra Africam dimicaret, & Turca quoque bellum contra Chriſtianos geſſit, non ſane domi eos exſpectando, ſed ipſorum vel cogitationes, ne dicam conſilia, præveniendo. Quum igitur eos nunc hic nunc alibi invaderet, nec tempus concederet ipſum aggrediendi, ipſis Chriſtianis per hoc infinitas terras eripuit. Tenendum autem hic eſt, quod invaſio requirat vires, quæ numero vel fortitudine, vel opportunitate

majores vel ſaltem æquales ſint viribus illius, quem armis petimus, & qui tam alacrem & fortem ſe non ſentit, alio modo præveniat hoſtem neceſſe eſt, aditus ſcilicet & locos extantiores muniendo, ut hoſtis circa oppugnationem eorum vires vel tempus perdat, ac proinde opportunitatem det milites colligendi externasque copias in auxilium convocandi. Ita fecit Magnus Monarcha Carolus VI. noſter hodie Imperator, qui cum Barcellonæ circumdatus atque à claſſe Hiſpanica arcte obſeſſus eſſet, ſecretum tamen ſemper commercium ſervavit cum incolis quibusdam montanis, Miquelets dictis, qui bono numero ſe conjungentes exercitum Hiſpanicum interdum inquietarunt, invadendo ſcilicet Hiſpanos, ſi quando excurſores emittebant, ſtragemque inter eos ediderunt, cum interim quindecim mille Angli in auxilium vocati prope Barcellonam è navi deſcenderent, & Hiſpanos tam fortiter propulſarent, ut tollere obſidionem eos adegerint, qua re accidit, ut Barcellona cum Majeſtate Cæſarea Carolo VI. in libertatem fuerit reſtituta. Idem hoc pariter prope Maltam accidit, ubi Turcæ oppugnationem Caſtelli à S. Hermo tentantes integrum menſem Majum impenderunt ac conſumſerunt, florem quoque militum perdiderunt, dum interim Chriſtiani ſpatium habuerunt ſe uniendi & auxilia convocandi, ita ut Tur-

cæ

cæ ipsi postea invasi fuerint atque expulsi. Cui autem vires desunt ad præveniendum & offendendum adversarium, id curet, quomodo potentem quendam inimicum adversus eum concitet, qui id efficiat, quod ipse non potest. Gensericus Vandalorum Rex, cum classis ejus in terribili quodam prælio navali à Basilio Patritio deleta esset, & ipse pejus quid adhuc timeret, Ostrogothis & Visgothis persuadebat, ut Imperium Romanum invaderent, atque ita ille securitati suæ consulebat. Quoties Ludovicus XIV. Galliæ Rex Turcam sollicitavit ad incipiendum bellum contra Imperatorem Romanum, ut scilicet hoc modo securitatem pacis in terris suis anticiparet? quoties etiam Imperatorem, dum in bello contra Turcam occupatus esset, ipse bello aggressus fuit? neque hoc certe alio faciebat fine, quam ex timore, & ad præveniendas Imperatoris vires, ne eas postea supra se ipsum effunderet. Est adhuc etiam alia quædam præveniendi species, quando nempe quis factionibus, quæ in terris inimici sunt, aut vicinis, aut collusionibus, aut consiliariis, aut præfectis, aliisque hominibus qui aliqua apud Principem autoritate sunt, in suum lucrum atque commodum uti novit, ut vel dissuadeant illi bellum contra nos, vel id aliorsum vertant, & lenta executione inutile reddant, vel denique nos adjuvent, certiores nos facien-

ciendo, quid rerum agatur. Vulnera enim prævisa minus nocent. Quod si verò collusiones insuper tam frequentes fuerint, ut suspicionem seditionis, aut proditionis aut tumultus præbere possint, tanto melius hoc erit, ita enim noster plane erit securus, & inimicorum terra in turbas internas conjicietur. Elisabetha Regina Angliæ magna illa Politicà à Magno Papa Sixto V. tantopere æstimata optime observavit methodum hanc politicam adversus Regem Catholicum in Flandria, & Regem Christianissimum in Gallia. Cum enim Protestantes & Evangelicos Reformatos in his terris degentes consilio suo atque pecunia omnibus viribus sustentaret, hoc modo incendium belli procul à se arcuit: pari artificio atque Favore erga eos in Scotia usa, quibus minus satisfecerat Maria Regina, aut qui parum faverent factioni Gallicæ, non solum securam se de hoc regno sed & dominam ejus reddidit. Alii quidam populi, ut aditum in terras suas hostibus vel difficilem redderent, vel præriperent, naturam in hoc imitati fuerunt, quæ Imperia non montibus solum, maribus & fluminibus, sed & immensis desertis divisit, uti Mauritaniam à China, Numidiam à Nubia, & Nubiam ab Ægypto, ita plane & illi fines suos vastarunt. Ita olim fecerunt Suevi, ita per multos annos quoque fecit Tammas Persarum Rex, qui ut

Ma-

Magnum Turcarum Imperatorem longissime à regionibus suis detineret, ingens terræ spatium in confinibus vastavit, consumsit atque in solitudinem commutavit. Idem prorsus facit Moscovita, quippe qui loca vicina inimicis suis non nisi deserta relinquit, ut si densæ silvæ ibi creverint (id quod per humiditatem soli facile contingit) eæ propugnaculi instar munitionibus suis esse possint, id quod magno suo labore atque ærumna expertus fuit Stephanus Poloniæ Rex. Ut enim hic ad loca inimici viam sibi pararet, sylvas ipsum cædere prius oportebat, quo labore satis multum temporis perdidit. Retinet hoc in continuo timore invasorem, dum ille, in quem impetus dirigitur, mala sua atque infortunium interim potest prævidere. Antea vero, quam caput hoc finiam, audio aliquem mihi dicentem meque interrogantem, quid rei facere oporteret, si quis neque campum, neque locum, neque occasionem, neque tempus præveniendi inimicum cum omnibus supra dictis mediis atque viis haberet, sique inimicum nobis potentiorem in occursum nobis venientem videremus, nec possemus ipsum effugere aut pugnam declinare? Dico igitur, in rebus desperatis animum atque audaciam sæpius supplere vires exteriores atque defectum numeri, & si quis æqualis non sit hominibus, sufficit ut æqualis sit valore, uti jam innui,

ac

ac proinde in tali caſu pariter non opus eſt, ut impetum exſpectemus, ſed aggreſſionem inimici anticipare fortiter oportet, aggreſſione enim creſcit militum animus, & invaſio non tantum alacres reddit milites, ſed & inimicum terret, confundit, in ſuſpicionem inſidiarum majoriſque potentiæ inducit, atque in perturbationem conjicit, perturbatio autem victi exercitus inſtar eſt victori. Quin velox atque ſubita præventio plus valet quam potentia, illa enim hoſtem cædit atque perturbat, perturbatum verò facile frangit. Cæſar bellum civile cum trecentis equitibus & quinque mille peditibus incipiebat, præveniebat incredibili velocitate inimicos, illisque non modo tempus copias colligendi eripuit, ſed & jam collectas ſuſtulit, & ſexaginta dierum ſpatio totam Italiam occupavit. Poſſem allegare hanc in rem multa Exempla Sereniſſimi Ducis ac Principis Eugenii, qui contra inimicos ſuos numero ac viribus potentiores paucis militibus tam inſignes ac memorabiles fecit progreſſus, ut perpetuo ſtupori futuri ſint univerſæ poſteritati. Nonne ille triginta quinque millibus militum univerſam Italiam dominio Cæſaris ſubjecit, poſtquam adeo exiguo numero validum Gallorum exercitum è centum mille hominibus conſtantem, qui eam jam occupaverat, deſtruxiſſet? nonne quadraginta milli-

bus

bus suorum militum numerosum Gallorum & septuaginta mille hominum exercitum, cujus maxima pars sub Taurino optime erat circumvallata ac munita, invasit atque vicit, destructoque illo penitus dictam civitatem, quæ ne in manus hostium incideret, singulis momentis periclitabatur, liberavit? nonne aliquoties miracula fecit, & Turcas duplo semper potentiores in Hungaria profligando insignes reportavit victorias? Quilibet scire hoc potest, uti & alia consimilia supra nominati Serenissimi Herois gesta bellica, cum Historiam modernam bellorum aliquot ab hinc annis gestorum legerit. Confirmatur insuper id quod supra dixi multis Exemplis ex antiqua Historia desumtis, sufficiat vero mihi solum illud Julii Cæsaris, qui cum Hellespontum triremi vectus trajiceret, & Cassium adversæ partis Ducem decem navibus occurrentem sibi haberet, non solum non fugit, (id quod in vanum fuisset) sed & audacter conspectum ejus subeundo eum talem in modum terruit, ut hic se illi dederit. *Audeamus* (dicebat L. Martius) *quod credi non potest, ausuros nos: eo ipso quod difficillimum videtur, facillimum erit: Scio audax videri consilium, sed in rebus asperis & arduis fortissima quaque consilia tutissima sunt.*

CAP.

CAP. V.

AN CONSULTUM SIT, *UT* PRINCEPS IN PERSONA IN BELLUM PROFICISCATUR?

POstquam demonſtravimus, melius eſſe prævenire hoſtem, quam eundem domi exſpectare, non erit præter ſcopum, ſi & hanc quæſtionem tractaverimus, num expediat, ut Princeps in tali vel aliis expeditionibus in propria perſona contra inimicum ſuum in bellum proficiſcatur? Eſt hoc tale dubium, de quo partim Exemplis, partim rationibus, utrinque multa diſputari poſſunt. Ab una enim parte facilius eſt, ut inter multos belli Præfectos & Barones, qui militiæ dediti ſunt, unus vel plures ſint excellenti judicio, valore, induſtria, felicitate, fortuna aliisque requiſitis neceſſariis præditi, quam ut omnia iſta ſemper deprehendantur in Principe; quo in caſu melius eſt, ut ipſe bellum gerat per alios, quam in propria perſona; cum enim iſte omnes iſtas virtutes non habeat, quæ in Præfecto requiruntur, præſentia ejus plus faciet ad turbanda bona conſilia

lia impediendasque eorum executiones, quam ad promovenda illa hasque maturandas. Juſtinianus licet ne pedem quidem Conſtantinopoli moveret prudentia tantum atque fortitudine Virorum Excellentiſſimorum uſus Italiam à Gothis & Africam à Vandalis liberavit, Perſarum quoque inſolentiam coërcuit, & ex virtute Beliſaris, & Narſetti cæterorumque quos habuit Miniſtrorum felix fuit æſtimatus. Quod ſi ex altera parte Princeps bellicoſo eſt animo, omniaque iſta, quæ ſupra innuimus requiſita poſſidet, ſi in bellum proficiſcatur, non tantum omnes iſtas virtutes, quas ſuorum aliquis Miniſtrorum habiturus eſſet, ipſe ſecum afferet, ſed & honoris atque autoritatis prærogativam, qua & vigilantiam Præfectorum & audaciam militum duplicabit, nam: *Urget præſentia Turni.* Cum autem Princeps iſtis virtutibus ornatus bene quidem optari, à nemine autem niſi à DEO formari queat, nihil nobis ſupereſt quam ut demonſtremus, quænam expeditiones bellicæ præſentiam Principis abſolute requirant, quænam non? ſupponamus igitur primum, Principem ſe non debere movere, niſi ob bella & negotia ardua: jam vero hæc ſuſcipiuntur vel ad defenſionem, vel ad offenſionem aliorumque oppugnationem. Defenſio vel principalem reipublicæ ſtatum reſpicit, qui & Metropo-

D lin

lin complectitur, vel aliquam saltem partem & membrum à statu separatum atque dissitum attingit. Dicamus igitur, si hostem magna vi ad invadendos nos vel domi vel in ditione Principali accedentem viderimus, benè tunc actum esse, si Princeps ipsi præsens obviam eat, primum, quia præter splendorem, quem ipse expeditioni conciliabit, & comitatum Nobilium populique sponte & certatim ipsum secuturi animum quoque Exemplo suo addet subditis, & hoc ipso necessitatem iis imponet, pro defensione patriæ, Regnique atque Regis salute strenuè pugnandi. *Cum ventum in aciem* (inquit Tacitus de Germanis) ***turpe Principi virtute vinci: turpe comitatui virtutem Principis non adæquare. Jam vero infame in omnem vitam ac probrosum superstitem Principi suo ex acie recessisse, illum defendere, tueri, sua quoq; fortia facta gloriæ ejus assignare præcipuum sacramentum est, Principes pro victoria pugnant, Comites pro Principe.*** Id quod plurimum habet ponderis in offensionibus, nedum in defensionibus. Præter hoc defensio & conservatio status tam insigne tamque universale est beneficium, ut cavendum sit Principi, ne cui alii, quam sibi ipsi acceptum id ferre debeat, alias namque periculum est, ne jacturam regionis suæ faciat, id quod Childerico Galliæ Regi accidit. Irruptionem in Nobilissimum hoc Regnum

gnum fecerat Abdimarus Hispaniæ Rex cum quadringentis quinquaginta millibus & quod excedit, Saracenorum, dumque Childericus delitiis Palatii sui implicitus non nisi festos dies sibi parare, & voluptatibus magis magisq; se immergere cogitabat, quicquid ipsi obvenerat, in amœnis viis Santonum & Pictonum ferro atque igne vastabat, non sine terrore incolarum atque desperatione. Neque verò dormiebat interim Carolus Martellus; collecto enim validissimo exercitu, in quo nervus erat & flos Nobilitatis populique Gallici, & vim hostibus audacissime obvertens in terribili quodam prælio ultra trecenta & septuaginta quinque millia trucidabat. Suscepta hæc tam fortiter defensio tantum efficiebat, animosque Gallorum in universum omnes adeo devinciebat Martello, ut Rex nullo amplius loco haberetur, neque mirari subeat Pipinum Filium suum tam tenui labore postea Regem fuisse proclamatum, Anno 752. Neque tamen, ut Princeps in præliis semper præsens adsit, necesse est: sufficiet interdum, si exercitui vel loco prælii vicinus sit, atque ita denique se gerat, ut salus reipublicæ vel in totum vel majori ex parte judicio suo, consilio, vigilantiæ, magnanimitati, fortitudini & industriæ debeatur. Idem observari debet in bellis offensivis atque gravibus sed vicinis: vicinia enim gratiam atque favo-

 rem

rem auget illi qui susceptum bellum ad finem perducit, & beneficium (uti plane est) majus apparet. Ita Leonenses & Castiliani nec non successive reliqui Hispaniæ Reges omnibus contra Mauros susceptis expeditionibus præsentes interfuerunt, inter quos nominari maxime merentur Ferdinandus Arragoniæ Rex & Isabella Castiliæ Regina conjux hujus, in obsidione atque expugnatione Granadæ. Quod si vero bellum procul domo atque regione geratur, caveat Princeps, ne à corde statuum suorum, unde in partes circumjacentes autoritatem atque vigorem diffundere potest, procul abeat. Id quod diligentissime observavit Tiberius Cæsar. Cum enim Legiones Germaniæ aliquando non sine magno periculo tumultuarentur, & maxima pars existimaret, mutandam esse Principi sedem ad compescendos Personæ suæ Majestati seditiosos, nihilominus firmam hic cepit sententiam, ut nollet curare murmurationes vulgi nec cujuscunque judicium, haud existimans convenire magno Principi, ut à sede Imperii, à primaria urbe eoque loco unde reipublicæ administrationem in reliquos derivat, præter necessitatem procul proficiscatur. Quam in rem scribit Herodotus non concessum fuisse Regi Persiæ, ut è regno foras exiret in bellum, nisi ad evitanda bella intestina, vicarium cum Insignibus & titulo Regis domi reli-

quis-

quiſſet. Cum David in periculo eſſet, ut occideretur; tunc juraverunt Viri David, dicentes: ***nam non egredieris nobiſcum ad bellum, ne extinguas lucernam Iſraël.*** Semper ego veneratus fui omnia magni illius atque doctiſſimi Politici Machiavelli conſilia, non autem admodum mihi placet hoc quod Principi ſuo dedit, ſcilicet ut ſedem præſentiæ ſuæ in regiones expugnatas transferat, nihil enim hoc eſt aliud, quam ſubditos naturales periculo exponere pro ſubjugatis, & ſubſtantiale pro acceſſorio. Neque valet Exemplum quod ille hanc in rem adducit, de Magno Turcarum Imperatore Mahomete primo, qui ſedem ſuam Burgia Conſtantinopolin transtulit, neque enim Turca ſubditos habet naturales, & ſitus Conſtantinopolis commodiſſimus eſt, quam qui pro ſcopo ſuo, ut in medio ſubditorum ſuorum eſſet, invenire potuiſſet.

*** [o] ***

CAP. VI.
DE
CONDITIONIBUS
ET
REQUISITIS
PRÆFECTI AUT MINISTRI,
AD
SUSCIPIENDAS EXPEDITIONES
BELLICAS, NEC NON OBEUNDA STATUS NEGOTIA à PRINCIPE
ELECTI ATQUE MISSI.

QUandoquidem igitur non expedit, ut Princeps ipſe præſens ſemper ad omnes expeditiones bellicas proficiſcatur, uti in præcedenti capite dictum fuit, poterit omnino expertum Miniſtrum, Ducem, atque caput, quod Imperet, eligere atque amandare. Tres autem in dimittendo illo conditiones obſervari debent: Primo, ut non niſi ſit unus, ſecundo ut in demandatis ſibi negotiis ſit liber, tertio ut ſit efficax. Unitas requiritur, quandoquidem negotium, quod à pluribus capitibus regitur, Amphiſibænæ inſtar eſt, quæ cum duo habeat capita, in quam partem ſe flectat, nemo ſcire poteſt, quæ & lente multaque cum moleſtia progreditur, unde Poëta eam gra-

gravem vocat. *Et gravis in geminum urgens caput Amphisibana*, & quid vel tandem foret, si plura insuper quam duo haberet capita? Experientia quoque veritatem hanc manifeste docet. Arma enim Romanorum nunquam debiliora extiterunt, quam tempore Tribunorum militarium: Tum demum didicerunt: *Complurium Imperium bello inutile esse.* Atheniensium quoque res in oppugnatione Siciliæ non nisi ob contrarias multorum capitum sententias pessum ivere. Optime hoc exercuit Rex Catholicus in oppugnatione Alzerbiæ & Angliæ. Spartani licet duos haberent Reges, in bellum tamen non nisi unum miserunt: neque tantum requiritur ut unus sit, sed etiam ut sit idem, hoc est, ut non facile fiat mutatio, sed ut unus negotium continuet, sæpe enim mutare Ducem idem est ac plures uno habere, quam enim pluralitas capitum uno tempore imperantium affert confusionem, eandem crebra quoque mutatio in negotio aliquo affert, cursumque interrumpit, consilia suspendit, & executionem retardat. Inde est, quod Romani sub Regibus plura præstiterunt præclara facta, pro ratione temporis quam sub Consulibus: isti enim continuabant expeditiones, his de anno in annum se mutantibus. Unde cum aliquoties observassent, tam crebris mutationibus *interrumpi tenorem rerum*, *in quibus pera-*

gendis continuatio efficacissima esset, inter traditionem Imperii novitatemque successoris, quæ nascendis priusquam agendis rebus imbuenda sit, sæpe bene gerendæ rei occasionem intercidere, Scipionem in multos annos confirmarunt in expeditione Hispanica atque Africana, T. Flaminium in Macedonica, C. Marium in Cimbrica, & C. Cæsarem in Gallica. In tantum tamen Dux Bellicus & Minister in expeditione sua retineri atque confirmari debet, in quantum apparet ejusdem fidelitas, cum felicitate & fortuna, quæ nihil aliud quam DEI adjumentum est, conjuncta. Romani Lucullum proficisci patiebantur, quam diu arma feliciter tractabat, cùm vero observarent, prosperitatem in medio cursu ipsum deserere, Pompejum in ipsius vicem amandarunt. Cùm Carthaginenses sub propriis Ducibus victi fuissent, electione peregrini, qui Xantippus erat Lacedæmonius, fortunam quoque mutarunt. Pariter Siracusani, cum ipsi cum Ducibus suis nativis victi fuissent, cum Philippo Spartano victores extiterunt. Atque adeo culpari non debet Princeps, si missis subditis domesticis terræ suæ, quibus cum fortunam non habet, peregrinos in Ministros suos degat, ob imperium tam in milites quam in statum, ejusmodi enim mutatione conditionem suam atque commoda in meliorem statum convertere studet. Mutatio

ta-

tamen à Principe Regente aut ſucceſſoribus ſuis non tam facile fiat, ſed tantum ad promovendam ſtatus ſui utilitatem, alias namque periculum eſt, ne removendo Miniſtrum dignum, ſenem expertum atque felicem proſperos ventos in contrarios mutet, facilis autem atque ſubita Miniſtrorum Senum atque expertorum mutatio violenti aliquid habet, atque violentia raro bene cedit, bonumque & durabilem effectum nunquam producit. Ita Plenius L. 88. 3. admonet, *Miniſtros à prioribus Principibus jam cum judicio dilectos fideque diuturna ſpectatos non temere à ſucceſſore removendos. Quod tamen crebro uſu venit* (uti ſubjungit doctiſſimus Boeclerus de Aula c. XXV. p. 753.) *obtrectatione & invidia eorum, qui veteribus iſtis velut cuſtodibus remotis novis artibus ſuis faciliorem proventum ſperant, aut præſidenter ſibi arrogant plura, quam ii, quos aulicarum adminiſtrationum verſabilis uſus jam exercuit inſtruxitque*; quam diabolicam malitiam atque malignitatem Sceleratorum invidiaque plenorum hominum Princeps penitus abhorrere debet. Altera conditio Miniſtri, Præfecti aut Capitis cujusdam ea eſt, ne in negotio quod ipſi demandatur, arctis nimis conditionibus manus pedesque ipſi ligentur. Poterit Princeps omnem, quæ poſſibilis eſt, maturam conſiderationem in eligendo Miniſtro

adhibere; poſtquam autem ſemel eum elegit, convenit, ut ampliſſimam in exequendo officio ſuo autoritatem ipſi concedat, alias impediet Miniſtrum resque ſuas atque utilitates ipſe mutilabit, ut felici fato adſcribendum ſit, ſi bene res evenerint. Lycurgus prudentiſſimus Legislator licet autoritatem Regum, quam diu domi eſſent, admodum reſtrinxerat, eandem tamen liberam abſolutam atque independentem eſſe patiebatur in bello. Ipſi quoque Romani licet Senatum haberent refertum hominibus in omni militiæ parte excellentiſſimis, ſuaque fortitudine per mille ſpecimina probatis, nihilominus præfectum atque miniſtrum nunquam cum alio mandato ablegare ſoliti erant, quam ut curarent, ne quod respublica damnum caperet, in maximis etiam periculis ſummoque rerum diſcrimine Dictatorem creabant cum autoritate domi atque foris plusquam regia. Tiberius mittebat Druſum Filium ſuum in Pannoniam, *nullis certis mandatis ex re conſulturum*, neque hoc ſine magna ratione, raro enim eo modo bellum geritur atque ſuccedit, quem nos nobis formamus. Opus ſæpe eſt pugnare, non quia volumus, ſed quia inimicus nos eo adigit, aut neceſſitas, qua premimur, nos conſtringit. Multas res, (uti Thucydides docet) bellum ex ſe ipſo progignit; multas inimicus nos docet; multas etiam

caſus;

casus; & (uti Q. Fabius Maximus inquit) *Consilia magis res dant hominibus, quam homines rebus.* Unde detestabatur iste temeritatem Varronis, qui antea quam hostem viderat, jam quid agendum sibi esset, animo præcipiebat: & tamen aliquot classes navales è maximis, quæ unquam mare ingressæ fuerunt, sequentibus temporibus comparuerunt, ita, ut nihil actum fuerit, & in fumum abierint omnia, cum Præfectus uti voluerit consiliis, quæ domo secum apportaverat, iis quæ occasio suppeditabat, plane contrariis, aliis consilia subveniunt occasione jam præterlapsa, &, uti Tacitus inquit, *ex distantibus terrarum spatiis consilia post res afferebantur.* Tertium requisitum Præfecti vel Ministri, qui ad negotia belli obeunda mittitur, est efficacia, quatuor vero conditiones ad hanc concurrunt: inclinatio, exercitium, sollicitudo & audacia. Inclinatio facit, ut expeditionem promtè & aliquo animi ardore suscipiat, hicque ardor ad finem usque duret. Differt motus naturalis à violento in hoc, quod naturalis in vehementia sua perseverat, quin & continue crescit, violentus vero è contrario non diu durat, sensim deficit, & in nihilum tandem abit. Jam vero motus alicujus, qui sponte, alacriter & cum voluptate opus aliquod aggreditur, naturalis quasi est; motus autem qui fit sine inclina-

clinatione, & tanquam agens violentum, deterior ſemper fiet magisque ceſſabit, atque difficile omnino eſt, ut Præfectus bellicus, qui contra ſuam inclinationem atque ſententiam expeditionem ſuſcipit, quicquam efficiat, quod alicujus ſit momenti, uti Exemplum Niciæ in bello Siracuſano docuit. Ferdinandus, multæ prudentiæ Rex, non ſolum curabat, ut ad ardua, quæ ſuſcipiebat, negotia, ſui Miniſtri inclinarent, ſed totus etiam populus. Ita ut antea quam id quod animo conceperat factasque deliberationes ore pronunciaſſet publice, multitudo eas jam dum deſideraverit, tanquam ſapientes & juſtas. Tum vero exercitium quoque negotium per viam planam ducit atque Regiam: quandoquidem homo, qui novitius eſt in negotio aliquo, non poteſt eſſe expeditus neque promtus. Adibit loca incognita, periculoſa, perplexa, tramite egredietur, talia faciet, quæ poſtea tollere neceſſum habebit, idque accidit tam in expeditionibus bellicis quam Politicis & quæ ſtatum attingunt, maxime autem in bellicis, dantur enim infiniti caſus & accidentia ſingulis horis ſe offerentia, ad quorum improviſum occurſum cum ſolido, firmo & conſtanti judicio atque animo ſtare impoſſibile eſt, niſi quis experientia confirmatus ſit. Accedit poſtea diligentia, quæ omne illud, quod juvare poteſt negotium, colligit,

git, neque propriis ſolum commodis, ſed & inimicorum negligentia uti novit. Media atque vires unit, atque ad operandum aptiora reddit & promtiora; nulla autem harum, quas ſupra indicavimus, rerum effectum alicujus momenti producet, niſi præſente animi vigore comitata ſit. Quemadmodum enim non ſufficit, ut navis rebus omnibus ad navigationem neceſſariis bene inſtructa ſit atque munita, niſi ventus vela inflet eaque propellat: ita neque inclinatio, neque exercitium, neque diligentia multum valet, niſi conatus animi determinati ea promoveat, & omnis deliberatio tam in Politica quam militari arte inutilis aſt, quæ non in ipſum effectum deducitur. Hinc de Arato Scionio legimus, quod, utut aliâs Magnus eſſet belli Dux, tamen, quia animus ipſi deerat, in præliis parum boni effecerit. E contrario verò tam antiquæ quam modernæ hiſtoriæ docent, optimas graviſſimasque expeditiones plerumque à fortibus & præſentis animi Imperatoribus ſuſceptas fuiſſe, quales fuerunt Alexander Pyrrhus, Cæſar, Hannibal, & noſtris temporibus Sereniſſimus Princeps Eugenius, qui belli Dux dum omnes modos obſequium ſibi conciliandi, uti ſunt amabilitas, ſeveritas, & exiſtimatio, ſingulari ſuæ virtuti adjunxit, res perpetua memoria atque admiratione dignas geſſit.

Omnes

Omnes ſupra dictæ conditiones, hoc eſt, efficacia, inclinatio, exercitium, ſollicitudo & audacia virtuti ac prudentiæ annexæ pariter ut inveniantur neceſſe eſt in Miniſtris, Conſiliariis, Plenipotentiariis, Legatis, omnibusque illis, qui Principi cum in rebus Politicis atque ſtatus, ſerviunt, tum in Imperii adminiſtratione aſſiſtunt. Notum enim eſt, quod pariter Princeps non ubique præſens eſſe, aut circumambulare, neque etiam omnia ſolus facere poteſt, ſed Viris opus habet idoneis atque aptis qui ad peregrinas aulas ablegentur, & de rebus ad Jurisdictionem pertinentibus, de ſtatu, pace atque imperio cum aliis Principibus conferant, tractent eosque ſollicitent. Quodque proinde in electione Miniſtrorum qui amandari debent, maxime neceſſarium ſit, ut curet Princeps, tales ut habeat, qui negotiis pares iisque neque ſuperiores ſint neque inferiores, id quod obſervatum diligenter fuit à Tiberio. Qui enim majores, quam negotium requirit, vires ſuas eſſe ſentiunt, levi brachio illud agunt, parum curant atque contemnunt, qui autem debiles ſunt & negotio minores, ſuſtinere illud non poſſunt. Opus igitur eſt, ut Princeps cum omni maturitate & magna penſitatione Miniſtros ſibi eligat, qui ipſi non tantum in adminiſtratione Imperii fulcri inſtar ſint, ſed & eo mitti apti atque capaces, quo ut Prin-

ceps in propria perſona prôficiſcatur, conſultum non eſt. Nam, *ad ornatum Principis* (dicit Caſſiodorus 4. Ep. 3.) *credimus pertinere, aptas dignitatibus perſonas eligere, quia de claritate ſervientium creſcit fama dominantium.* Miniſtri dicuntur, quia *eorum conſilio & opera Princeps ad regendam ſummæ fortunæ ſuæ molem utitur. Et in his eligendis* (dicit Doctiſſimus Boeclerus c. 6. p. 754.) *illud tanquam præcipuum attendi debet, ut ex artibus prudentiam, ex moribus fidem habeant, qui majoribus rebus ſunt admovendi.* Poſtquam deinde Princeps Miniſtros ſuos elegerit, bene erit, ſi eos honoret, & æſtimet tanquam fortunæ atque utilitatis ſuæ coadjutores ſimul atque amicos, bonus enim conſiliarius non minus valet quam integrum Regnum. *Etenim cum plurimis amicitiis fortuna Principum indigeat, præcipuum eſt Principis opus, amicos parare,* ita ait Plinius Panegyr. 85. 6. Neque vero ideo Coadjutores & Miniſtri Principis alicujus ambitione atque vana gloria capi ſe patiantur, &, ſi ipſorum conſilia, legationes atque negotia ſtatus ipſis commiſſa feliciter ſuccedunt, gloriam atque ſplendorem exinde enatum ſoli attribuere debent Principi, ita quippe nos docet Lips. 3. Pol. 11. dicendo: *Miniſtrorum propria virtus & prudentia eſt, non Principis ſed ſua fortuna ſe metiri, neque*

que

que ſibi gloriam rerum geſtarum, *ſed Domino*, *à quo* fatum *acceperunt*, *cujusve auſpicio auſpicatum habuere ſuſceptum*, *tribuere*. Quin &, moraliter loquendo, ſemper ſubmiſſas debent gratias agere DEO, quod illos tam pulcris atque raris dotibus & qualitatibus ditaverit, in ſervitium, adjumentum & augmentum utilitatis Principum. *More Chriſtiano loqui poſſumus & dicere*, *Deum in uſum decus*, *Regum & Regnorum certos homines peculiaribus dotibus imperii animique inſtruere*, *eorumque*, *quas ſub auſpicio imperioque Dominorum obeunt*, *actiones proſperare*, *& quodam modo per illos gloriæ Regum & ſaluti Regnorum conſulere atque providere.* Vid. Charact. Vellej. c. 2. & 3. Id quod omne exerceri fas eſt tam à Miniſtris bellicis & ad expeditiones militares miſſis, quam à Miniſtris ſtatus ad promovenda Principis commoda amandatis, quando felicem negotiorum ſuorum habuere ſucceſſum.

*
* *

CAP.

CAP. VII.

QUANTUM PONDERIS IN REGIMINE PRINCIPIS SECUM VEHAT RELIGIO.

SUSTENTAT HÆC POLITICUM ATQUE

BONUM PUBLICUM,

ATQUE IDEO PRINCEPS EAM DEBET DEFENDERE, SUSTENTARE, CONSERVARE ET PROPAGARE.

Religionem fundamentum esse omnis Principatus, certissima res est. Cum enim omnis potestas à DEO veniat, neque gratia & Favor DEI aliter quam Religione comparari queat, omne aliud fundamentum erit ruinosum. Ex quo consequitur, quod religio & cultus divinus res maxime ardua sit, tam pro Ipso Principe, quam status sui regimine. Adducit in hanc rem Doctissimus Joh. Ad. Osiander, in libro de Typo legis naturæ sequentes pulcerrimos versus ingeniosi alicujus Poëtæ, dicentis:

Lex sine Rege velut lumen sine sole fuisset,
Rex sine lege velut sol sine luce foret.

Quibus stagirita suum addit calculum 3. Polit. 11. *Qui legem praesse jubent, jubent praesse Deum per suam vocem.* Qui leges aliis dare debet, legem ipse debet habere & cum lege vivere. Deus, qui non nisi bonum præcipit, optimus est. Idem Deus Regi præcipit, ut Exemplar sanctæ suæ legis secum habeat, eamque solicite observet, adhibitis verbis, quæ, cum maximi sint momenti, heic loci apponere grave mihi non erit. Dicit igitur: *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens Exemplum à Sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum & custodire verba & cerimonias ejus, quæ in lege præcepta sunt, ne elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos;* neque *declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse & filius suus super Israël.* Diotimus tria Regi necessaria esse scribit, Religionem scilicet, Justitiam atque Militiam. Prima facit ad regimen tam suæ conscientiæ, quam populi atque subditorum suorum, secunda ad coërcendos eos atque frenandos,

dos, tertia deniq; ad arcendos procul inimicos; & Ariſtoteles Tyranno quoq; Regi ſuadet, omnibus viribus eò adnitatur, ut pius atque religioſus eſſe credatur. Quod ſi enim ſubditi talem de eo opinionem habuerint, nunquam verituros eſſe, ne durius quid in ſe ſtatuatur ab eo, quem Deos revereri exiſtimant. Difficile autem omnino eſt, talem haberi aliquem, qui non vere eſt Religioſus, quandoquidem nihil eſt, quod minus duret, quam ſimulatio. Erit igitur Principis, ut ex toto corde ſuo Divinæ Majeſtati ſe ſubmittat, ipſique Regnum ſuum & populi obſequium acceptum referat, quin quanto ſublimiori in gradu ſupra alios collocatus eſt, tanto magis in conſpectu DEI ſe deprimat: rebus atque negotiis tam Politicis quam militaribus manum non admoveat, niſi ſecurus ſit, eſſe ea conformia legi Divinæ, quæ Principi ad gubernandum ſe ipſum regendosque feliciter ſubditos graviſſima atque maxime neceſſaria eſt. Officium Principis eſt gubernare, regula vero ſecundum quam gubernet, non ſola eſt juſtitia, ſed & ſimul religio, juſtitia enim tranquillum facit populum, Religio vero patientem inſuper conſervat privatum quemvis, licet ægre ipſi faciat juſtitiæ exercitium. Juſtitia jus ſervat, Religio vero illud ſuſtentat, & ambæduæ Principem tuentur atque ſuſtinent. Cum Marcus Aurelius compertum haberet, Rebellem

ſuum in Aſia, Avidium Caſſium trucidatum fuiſſe, valde hoc ſibi diſplicere ſignificavit, & caput ejus honorifice ſepeliri juſſit; cumque ipſi diceretur, Avidium, ſi viciſſet, non tantam clementiam erga eum exerciturum fuiſſe, reſpondit: Avidius non poterat me vincere, non enim venerabatur ſanctos DEOS. Certiſſimum eſt, Romanos, licet Chriſtiani non fuiſſent, nullum unquam negotium remque publicam tractaſſe, niſi prius de ira Deorum placanda, favore illorum reconciliando, aut gratiarum actione pro acceptis beneficiis reddenda, invocandoque illorum auxilio atque Patrocinio deliberaſſent. Habebant Religionem ſuam pro principali aliquo regiminis capite, neque alterari eam nedum violari ullo modo patiebantur. Tantum robur habet in regimine religio, ut ſine ea omne aliud ſtatus fundamentum vacillet, eſt enim ea omnium virtutum quaſi mater, facit ſubditos obedientes Principi ſuo, audaces atque animoſos in periculis, liberales, ubi opus eſt, promtos in omni Reipublicæ neceſſitate, ſcientes quippe, quod, dum Principi ſerviunt, DEO ſervitium præſtant, cujus vices ille gerit. Sapientiſſimum omnino atque pientiſſimum fuit Conſilium Auguſto Cæſari à Mæcenate datum: *Honora, inquiebat ille, Deum perpetuo & legibus conformiter, & fac ut alii idem faciant: Odio habe & caſtiga eos, qui*

in

in rebus divinis novitates introducunt, idque non ſolum Deorum cauſa, (quos tamen qui contemnit, non aliud quid unquam curabit atque æſtimabit) ſed quia illi, qui aliquid in religione mutant, multos ad mutationem earum rerum impellunt, è quibus conjurationes, ſeditiones, conventicula & turbæ, bono Principatus regimini minus convenientes, naſcuntur. Eſt certe valde impia atque ſtolida opinio aliquorum, qui credunt atque dicunt, ad retinendos in obſequio ſubditos plus valere rationem humanam quam Divinam. Diabolica eſt hæc inventio quorundam, qui ruina ſunt Regum, peſtis Regnorum, ſcandala Chriſtiani coetus, jurati religionis quam & DEI hoſtes, contra quem tamen ad Exemplum antiquorum Gigantum novam Babelis turrem fabricant, confuſionem atque ruinam ipſis tandem parituram. *Qui habitat in Cælis, irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Audite, O Principes, quid Jeſajas de Conſiliariis Pharaonis dicat: *Sapientes Conſiliarii Pharaonis dederunt conſilium inſipiens: deceperunt Ægyptum angulum populorum ejus. Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo, ſicut erat ebrius, & vomens.* Facile monſtrare poſſem, ſi locus hic eſſet, maximam partem damnorum, quæ ſtatus affligunt, ruinarumque Princi-

pum Christianorum, ab hac maledictione derivatam fuisse, per quam ipsi protectione atque Favore Divino se privarunt atque dearmarunt. Sufficiat vero monuisse, ut sapiant Exemplo Magistri sui Jeroboami, & finem quem ipse habuit, timeant, quotquot eundem imitantur, ut enim impietatem Jeroboami vindicaret Deus, contra Nadabum filium suum Regem Baassam excitavit, qui & illum cum tota stirpe sua trucidabat. *Non dimisit nec unam quidem animam de semine ejus, donec deleret eam.* Denique neque regnum stabile est, neque regimen Principis felix, nisi per Religionem, & dum Religio fovetur, populus simul obligatur, & in obedientia sua confirmatur, siquidem Christiana Religio Principi non solum corpora atque facultates subditorum suorum, sed & insuper animos atque conscientias subjicit, neque manus tantum ligat, sed & affectus atque cogitationes, vultque ut absolute Principi obedientia præstetur, ne pax turbetur. Neque quicquam est, quod subditos obedientia Principi debita solvat, nisi contra naturæ ipsiusque DEI legem sit. Vespasianus Imperator haud bonum esse dicebat, male tractare & contemnere religionem Christianam, quoniam multum faveat Principibus doceatque dare Cæsari omne id quod est Cæsaris. Debet igitur Princeps favere Religioni ob quietem status, ob bonum

num ſuum particulare & ob bonum publicum. Bonum publicum duplex eſt, ſpirituale & temporale. Spirituale eſt ipſa religio, cultus DEI & unio Eccleſiæ ſuæ, temporale eſt pax politica & civilis, quæ ſi à religione DEOque pacis non fundata ſit atque gubernetur, ſubſiſtere ſeque conſervare nequit. Non deſunt hodie noſtris temporibus maligni atque impii homines, qui dicunt, Principibusque & Magnatibus ſatis innuunt, quod injuriæ quæ Religioni fiunt, ad Politicam non pertineant, id quod falſiſſimum eſt, deſtructa enim religione vera quoque Politica peſſum it, ut novæ ſectæ atque religiones in ſtatu quodam introducantur, aut ut innovationes in religione ſuſcipiantur, quandoquidem hæ tanti ſunt roboris, ut poteſtatem Principibus adimant, pacem civilem, temporalem ac ſpiritualem turbent, populum ſeducant, venerationem denique tollant & veræ Religionis cultum deſtruant. Uti de Jeroboamo legimus qui, poſtquam adorationem Idolorum introduxerat, non amplius æſtimabat populus cultum veri Dei, veramque religionem deſerebat. Pariter Princeps duo habet genera inimicorum, temporales ſcilicet & ſpirituales, externos & internos. Potiſſima priorum intentio eſt, ut temporale Principum offendant, ſecundi vero pro ſcopo habent, ut offendant primum ſpirituale atque religionem, quo per-

acto ex consequenti etiam temporale perdunt, unde hi multo pejores sunt primis. Necessarium proinde est, ut quivis Princeps omnibus suis viribus procul removeat hanc pestem, seque his inimicis opponat: qui enim populum ab obedientia erga Ecclesiam, suaque Religione data opera abstrahere atque seducere studet, Imperio atque obedientiæ illi debitæ eundem subducere longe facilius conabitur. *Omnium enim hominum* (ait B. Brentius) *nedum Magistratus, sive Principis interest, veram Religionem cognoscere, & pro virili sua juxta modum suæ vocationis adjuvare & defendere*, atque iterum: *Impietas est, Religionem, quantum Magistratui Civili sive Principi licet, ab hæreticis, Schismaticis & aliis adversariis non defendere.* Principes, qui persecutoribus religionis ipsorum sese non opponunt, suosque in Christo fratres opprimere patiuntur, neque se id sentire ostendunt, aut ad restituendos eos atque juvandos accurrunt, peccant contra primarium sanioris Politicæ atque regiminis fundamentum, peccant graviter contra Deum, contemnunt Divinam ejus vocationem, seque nihil prorsus credere satis produnt. Nemo ire poterit inficias, quin Augustissimi atque religiosissimi, qui hodie regnant, Principes Protestantes, perpetuis gloriæ coronis, æternis laudibus, atque statuis illis

glo-

gloriosissimisque inscriptionibus quæ M. Aurelio Imperatori erectæ quondam fuerunt, dignissimi sint, & in perpetuam pietatis suæ atquæ Zeli pro religione memoriam. Laudet igitur unusquisque Augustissimas Majestates Regum Angliæ atque Borussiæ, cum omnibus reliquis Celsissimis atque Serenissimis Rebuspublicis, statibus ac Magnatibus, dum hodienum circa res Religionis suæ adeo vigilantes se præstant, animum illuc intendunt, partes suas non deserunt, nihilque reliqui adhuc faciunt, ut illa antiquo flori suo & in primitivum tranquillitatis statum Christianum restituatur, id quod agunt tam per sapientissimos suos Legatos, pacta prudentissima, fœdera validissima, quam etiam denique per apparatus bellicos, si forte sancto Ipsorum Zelo, pio instituto, viisque ac mediis mitissimis non responderit desideratus multisque suspiriis expetitus pacis tam spiritualis quam temporalis effectus, qui vero dependet ab observatione legis & Religionis, suaque propria defensione, quæ contra inimicos atque persecutores suos omni ardore & Zelo exerceri atque suscipi debet, tam ex jure naturæ, quam ex præcepto DEI, qui, uti Deut. cap. 7. v. 22. legimus, Israëlitis præcepit, ut ad ulciscendam injuriam atque contumeliam religioni ipsorum factam arma contra Cananeos sumerent eos-

que perderent; *Præcepit DEUS filiis Israël, delere gentes multas terræ Canaan.* Ex quo consequitur pro fine hujus capitis, quod Principes, si regimen suum feliciter velint administrare suumque Imperium ampliare, Religionem quoque pro viribus propagare debeant. Hoc vero duobus modis fieri potest: primo quidem, si Clementia sua atque misericordia dignos judicent, adjuvent, suoque Patrocinio non deserant eos, qui ad convertendum se eorumque religionem amplectendam è DEO moventur, aut eam fortiter jam amplexi fuerunt, neque hîc ullo modo personas respiciant, apud Deum enim non est acceptio personarum, ad eos vero quam maxime si attendant, qui post transactos in ipsorum terris multos jam annos, vitæ suæ Christianæ, bonorum morum, firmitatisque ac constantiæ in Religione bonum odorem sparserunt, denique luculenta dederunt specimina conversionem ipsorum ex spiritu Dei esse, & à sola inspiratione DEI provenisse. Ita enim populi peregrini, quorum ad aures talis Clementia atque misericordia Principis pervenit, amorem adversus eum suamque religionem concipiunt, dum opinio de pio Zelo atque existimatione Religionis quam habet, undiquaque spargitur, alliciuntur quoque Christiana hac ratione, qua vere conversos, qui luculenta

vitæ

vitæ ſuæ Chriſtianæ ſpecimina dederunt (mali enim uti infectum pecus ejici ex grege debent) recipit, ſuſtentat, atque protegit, ut multi alii boni concurrant in unum cum iis coalituri, falſi autem foris maneant. Quod ſi vero Princeps è contrario vere atque ex animo converſos non adjuvet, eis non ſuccurrat, ſuumque benignum Patrocinium conſervet, bonam de ſe atque ſua religione opinionem perdit apud populos tam domeſticos quam peregrinos, ex hoc enim judicare poſſunt, Principem ne propriam quidem Religionem æſtimare, neque magno ejus Zelo agi, hancque adeo non eſſe ſecundum dictamen JEſu Chriſti. Quod ſi etiam converſus aliquis ex deſperatione, vel auxilii neceſſarii inopia ad deſerendam fidem adactus fuerit, tale damnum atque infortunium æternam apud DEUM vindictam clamaturum eſſet contra eum, quicunque ſaltem permiſſive ejus cauſa fuerat, ſuosque ſucceſſores atque dependentes. Secundus religionem propagandi modus eſt, ſi Princeps eos ſibi eligat Miniſtros Eccleſiaſticos, qui excellente doctrina atque virtute ſunt prædití, ut quam poteſt, bonam iis opinionem conciliet, ſi ſcilicet conciones ipſorum frequenter audiat, prudentia ipſorum, ſiquidem Viri ſint, qui magna pollent experientia, utatur, divinis precibus interſit, opem erga

ga pauperes ipsis commendet, denique materiam atque occasionem ipsis det, ut dotes suas ad commune bonum exercere possint. Et quoniam magna pars auxilii spiritualis populorum à Ministris Ecclesiasticis dependet, tot eorum habere curet, quantum satis est, neque iis autoritatem atque existimationem addat, qui florida quadam & suavi, sed quæ infructuosa & vana est, loquendi ratione Auditoribus se insinuant, sed eos potius præferat, qui contemto hoc magnifico dicendi modo in concionibus suis non nisi spiritum & veritatem spirant, atque animis Auditorum quasi infundunt, vitia reprehendunt, peccata destestantur, animos amore Dei inflammant, neq; se ipsos aut ad suam gloriam prædicant, sed ad gloriam JESU CHRISTI, & JEsum Christum solum & hunc Crucifixum. Atque ita finem habet prima hæc pars, atque ultimum hoc caput, non autem, uti spero, opera mea, quam continuare animus mihi est, annexis, quæ jam collegi, aliis gravissimis argumentis, idque aspirante DEI auxilio atque Favore Patronorum meorum, qui opusculum meum approbabunt, protegent, atque sub umbram auspicii Ipsorum recipient.

FINIS.